Difs.
710.
2.

710(3

<3663202077001 3

<3663202077001 3

Bayer. Staatsbibliothek

PROVIDENTIA DIVINA EX RATIONE NATURALI DEDUCTA.

DISQUISITIO PHILOSOPHICA,
QUAM
CUM SELECTIS
EX
LOGICA ET METAPHYSICA
PROPOSITIONIBUS

D. O. M. A.

PRAESIDE

R. P. GEORGIO WIESNER, S. J.

PHILOSOPH. MAGISTRO, EJUSDEMQUE IN ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSIT. HEIDELBERG. PROF. PUBL. ET ORD. FACULT. h. t. DECANO.

PRO
PRIMA PHILOSOPHIAE LAUREA CONSEQUENDA
PROPUGNABIT

Praenobilis & Eruditus
GODEFR. IGNAT. LUD. RAPPARINI,
Mannheim. Philosophiae in annum primum Auditor,
DEFENDENTIUM SECUNDUS.

Heidelbergae, in Aula Academica,
Die XXIX. Aug. An. MDCCLXV. Hor. antemerid. consuet.

Typis Joan. Jacobi Haener, Typogr. Aulico-Academici.

Bayerische Staatsbibliothek München

PRIMI DEFENDENTES.

I. ASSUERUS MAXIMILIANUS L. B. de WEICHS, S.C.C.

II. GODEFRIDUS IGNATIUS LUDOVICUS RAPPARINI, Mannheimensis.

III. PHILIPPUS ERNESTUS EHLEN, Wirceburgensis, S.C.C.

IV. FRANCISCUS JACOB. SCHWARZ, Weingartensis, S.C.C.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO THEODORO,

COMITI PALATINO AD RHENUM,

S. R. I.

ARCHITHESAURARIO

ET

ELECTORI

BAVARIAE, JULIAE, CLIVIAE ET MONTIUM DUCI, PRINCIPI MOERSIAE, MARCHIONI BERGAE AD ZOOMAM, COMITI VELDENTIAE, SPONNHEMII, MARCHIAE ET RAVENSPURGI, DOMINO IN RAVENSTEIN &c. &c.

DOMINO DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO,

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO

LANDGRAVIO HASSIÆ,

COMITI PALATINO AD RHENUM,

S. R. I.

ARCHITHESAURARIO

ET

ELECTORI,

BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET

MONTIUM DUCI, PRINCIPI MOEL-

SIÆ, MARCHIONI VERDENSIAE, SPONH-

HEIMII, MARCHIAE ET RAVEN-

SPURGI, DOMINO IN RAVEN-

STEIN &c. &c.

DOMINO SUO

CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME
AC
POTENTISSIME
PRINCEPS
ELECTOR
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!

Divini operis ratio est, non solum grandia sed etiam parva respicere. Cur non audeam ego exilia coram TE *folia, ut provolutus genibus, ita erectus & confisus animo deponere? Deos terrestres nuncupavit antiquitas orbis hujus Principes: Deo*

certe ſimillimos eſſe recte appellemus. Hos enim Deus ſibi proximos eſſe voluit & excellentia dignitatis, & regendorum populorum cura, & ipſa demum gubernandi providendique ratione. Deum cogita, & ſi haec exigua non reſpuis, maximum TE *oſtendiſti. Ipſum etiam ſcriptionis argumentum Sereniſſimo dignum Nomine animum meum ſolii tui majeſtate perterritum quodammodo ſuſtentat. Quid enim ſublimius exornat Principem, quam providentia? cujus ille tantam in ſe ubertatem ab aeterna illa luce profuſam & aliquando hauſit, & ad multorum pariter commoda & felicitatem perenni fluxu derivat.*

Hac profecto dum regeris, TE & TUOS *regis feliciſſime. Quae Patriae im-*

imminere possint pericula, praevio intuitu contemplaris, mentis sagacitate futura praevolas, remotissima pervadis & penetras, admirabili prudentia res omnes ordinas & jungis, incredibili demum constantia & animi fortitudine, quae sunt recte ordinata, conservas. Vere Leonem in TE *Palatinum suspicimus & admiramur, cujus illius teste Plinio, vigor & virtus in oculis eximia est. In hujus vigilantissimis oculis ingentes civium & reipublicae vires omniumque salus & emolumenta conquiescunt.*

Atque hanc summam in rebus omnibus providentiam mentisque aciem dum admiror; quid erat, cur TUAM *potentissimam tutelam huic tenui opusculo non exorarem? Maximus es li-*

terarum ac literatorum Mecoenas, fo-
ves eruditos, promoves & diligis. Per TE *Doctorum surgunt collegia, eri-*
guntur artium seminaria, antiquae locupletantur bibliothecae, novae in-
struuntur: per TE *omnis politioris literaturae genus efflorescit.*

Omnia haec praestabas, ubi floren-
tissimam Academiam nostram Electo-
rali praesentia illustrare dignatus es:
solo clementissimo intuitu & divino,
quod ex augusta fronte cernebatur,
ingenio, Princeps Philosophus, uni-
versum Athenaeum fecisti doctissime
philosophari.

Ego praeterea summopere forem
ingratus, si praeter clementissimam
gratiam TUAM, *aucuparer alienam:*
ubi vitae hactenus subsidia dabas &
orna-

ornamenta; mihique dum patrem Superi eripuere, meliorem TE *mihi, fratri, parentique meae Patrem exhibebas. Quare ut qualecunque grati animi vectigal exsolverem, tenues philosophici laboris primitias Serenissimo Nomini* TUO *consecrare, &* ELECTORI POTENTISSIMO, *Patriae Patri amantissimo, Principi Philosopho, scientiarum Fautori amplissimo inscribere sum ausus.*

Parva haec respicere dignare, & grandia redduntur. TE *vero divina illa providentia, cujus glorioſus aemulator es, longissimum in aevum servet incolumem: scribat* TE *illa in serie communis fati ultimum. In hoc sane non parum providum se monstrabit Deus, quod* TE *Principem providentissi-*

tissimum & optimum ab universa Patria diutissime sinat & coli & amari. Id denique unum TE *supplex rogo, ut quem vides ad Electorale solium demississime prostratum,* TUIS *consenescere obsequiis clementissime patiaris; qui sum*

ELECTORALIS SERENITATIS TUAE

Servorum infimus
Godefridus Ignatius Ludovicus Rapparini, Mannheim.
Philosophiæ Candidatus.

De providentia Dei aliquid dicturus non immerito metuebam, ne cum pro tantae rei magnitudine ac ſubli-mitate nimium pauca vel minus digna proferrem, accideret mihi, quod ingreſſuris Oceanum, ſi remiis velisque male inſtructi ſint, aut rei nauticae parum gnari, evenire ſolet; ut, quemadmodum hi paululum provecti vel litus repetere, vel deſertas ad inſulas confugere, vel demum mergi coguntur; ita meum ego hac in re conatum plane temerarium fuiſſe non uno argumento experirer. Verum, cum omnem in ſcribendo laborem effugere non poſſem, malui in rebus ſua dignitate ac amplitudine grandibus parum apte diſſerere, quam in materia quantumvis humiliore aut nimium trita deficere: praeſertim cum iſtud ipſum, quod magnis & excellentibus de rebus jactari ſolet: praeſtare nihil

nihil omnino de iis, quam pauca vel minus appoſita dicere, id in divinis minime locum habeat: quod in his pertractandis non niſi pauca ſint & levia, quantumlibet multa & ingenioſa dicantur.

Quoniam vero nunc ea vivimus tempora, ubi potius, utrum ſit Deus, quam qualis ipſe ſit, a non paucis pari forſan improbitate controvertitur; opportunius atque adeo neceſſarium videri poſſet, prius de illius exiſtentia quam providentia diſſerere. Nam quis ita ſtolidus, omnisque humanitatis eousque ſit immemor, ut, cum Deum exiſtere non dubitet, eundem providum eſſe non penitus arbitretur? ſiquis vero ne Deum quidem extare, obſtinatiſſimo & impudentiſſimo auſu perſuadere ſibi conetur, an providentiam dari non is aeque inficiabitur? cum providentia, de qua nobis ſermo futurus eſt, nonniſi divina eſſe poſſit. Sed facile eſt intelligere, prope iisdem ex fontibus & Dei providentiam & ejusdem exiſtentiam evidenti ratione deduci: ut jam pridem inter alios recte adnotavit Nemesius a). *Hinc merito* Epicurum *deridet* Lactantius b), *quod*

a) L. de Facultate Animae, cap. 42.
b) L. de Ira Dei, c. 9.

quod is Deum esse confessus sit, & providentiam omnem negaverit: Quo enim, *inquit*, quid repugnantius dici possit, non video. Etenim si est Deus, utique providens est ut Deus; nec aliter potest divinitas tribui, nisi & praeterita teneat, & praesentia sciat, & futura prospiciat. Cum igitur Epicurus providentiam sustulit, & Deum magis negavit; cum autem Deum esse professus est, & providentiam esse simul concessit: alterum enim sine altero nec esse prorsus nec intelligi potest.

Adhaec non modo veterum, sed recentiorum quoque philosophorum solertia non leviter in demonstranda Dei existentia versabatur: imo vix unquam recentes a typo chartae ac libri hactenus defuerunt, in quibus supremi conditoris existentia variis vividisque coloribus expressa resplendet. Ipsa etiam hujus existentiae ratio est ejusmodi, ut neminem latere possit, nisi rationis lumine non utentem. Vidit hoc universa olim antiquitas: si excipias Diagoram Milesium, *si* Prodicum Ceum, *si* Euhemerum, Critiam, Theodorum *cognomento* Atheum, Democritum, Protagoram Abderitanum, Bionem, Lucretium, Lucianum

num *aliosque nonnullos aeterna oblivione dignissimos* c). Nulla *enim* gens est tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. *Etenim* d) Persa, Gothus, Aegyptius, Turca ipsum agnoscunt: Bessorum feritas & pellitorum turba populorum stridorem suum in dulce nominis ejus fregerunt melos; & totius mundi una vox est: Deus est: *Verba sunt* S. HIERONYMI c). *Vidit hoc etiamnum propior nobis, & ipsa nostra haec videt aetas: ne quid tamen de* Lucilio Vanino, Machiavello, Benedicto Spinoza, *nec non de aliis recentioribus, Atheorum quisquiliis, dicam; quos omnes recensere forsitan nefas esset.* *Videlicet* haec e) est vis verae divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi: exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.

Providentiam vero Dei quod spectat, tametsi illa ex conceptu, quem duce natura de Deo

c) Tullius, L. 1. de Legibus c. 8.
d) Epist. 3. ad Nepotianum.
e) S. August. Tract. 106. in Joannem.

Deo formamus, emanare atque oſtendi per ſe ipſa videatur; eam nihilominus non inutili negotio uberius declarari oportere, ſuo nos errore docuerunt illi multi, qui de Deo aut ſaltem de illius exiſtentia recte quidem ſentientes, tamen ejusdem providentiam non raro mancam & mutilam ſuo in animo depinxerunt. Nimirum, ut egregie notat JUSTUS LIPSIUS f) Nemo quaerere *Dei* providentiam *poteſt, niſi qui* obſurduit & obbrutuit contra naturae vocem & ſenſum omnem; licet queri *de illa* nonnemo per imbecillitatem poſſit.

Duo igitur capita expedienda veniunt. I. Utrum in Deo circa hunc mundum providentia detur? II. Quarum rerum illa curam & gubernationem complectatur? Haec autem ita tractare aggredior, ut nihil eorum, quae ex ſola Dei revelatione derivantur, attingere praeſumam: tum quia natura ſatis valida inclamans voce, an & qualis in Deo providentia ſit, ubertim exponit; tum quia providentia Dei ſupernaturalis ſpeciali eoque ampliſſimo rerum altiſſimarum ambitu continetur.

f) L. 1. de Conſtantia c. 13.

PARS PRIMA.

DATUR IN DEO PROVIDENTIA.

Providentia, quam græci Πρόνοιαν appellant, juxta Boëtium g), *eſt ipſa illa divina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quae cuncta diſponit.* Quae *cum in ipſa divinae intelligentiae puritate conſpicitur, providentia nominatur.* Nemesius Epiſcopus & philoſophus inſignis illam dicit h) *curam rerum a Deo profectam*, id eſt, *voluntatem, per quam res omnes apte adminiſtrantur.* Providentia igitur duplici omnino munere abſolvitur: quorum alterum in rerum omnium praeſenſione ac ſcientia; alterum in conſulendi & curandi voluntate conſiſtit. Utrumque Justus Lipsius loco mox citato complexus eſt, ubi de providentia divina ſic loquitur: quod ſit *pervigil illa & perpes cura, qua* Deus *res omnes inſpicit, adit, cognoſcit, & cognitas immota & ſaepius ignota nobis ſerie dirigit ac gubernat.* Hanc autem in Deo providentiam non tam difficile eſt reperire, quam eandem breves intra limites exponere. Adeo nimirum magna ſunt & immenſa, quae divinum hoc veluti pelagus partim ſua ipſius profunditate, partim

g) L. 4. de Conſolatione Philoſophiae, proſa 6.
h) L. de Natura Hominis, c. 42.

tim amplitudine per universam creaturam diffusa complectitur.

Quare pictores hic ego imitari satagam, qui, ut ingentem hominum multitudinem parva in tabula repraesentent, aliquorum integra quidem corpora, sed plurimorum duntaxat humeros aut vultus exprimere solent: ita videlicet, quibus argumentis divina providentia stabiliatur, ostensurus, aliqua eorum in aprico ponam, aliqua solum leviter perstringam, nonnulla etiam, quae ex aliis colligi debent, praetermittam.

§. I.

Providentia Divina ex idea Dei, & officio Conditoris ostenditur.

Primum genus argumenti Dei nobis natura suppeditat: cujusmodi non ex fide solum Christianisque literis, sed ex communis naturae sensu ac velut disciplina gentiles etiam ipsi describunt. Deum enim cogitant & agnoscunt omnes, qui esse sentiunt aliquem, optimum & perfectissimum i): *quo nihil melius sit atque sublimius. Nam omnes pro excellentia Dei certatim dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod caeteris rebus omnibus anteponunt:* ut recte monet S. Au-

i) L. 1. de Doctrina Christiana, c. 7.

GUSTINUS. Bonus igitur Deus eſt, imo optimus k); *quatenus autem eſt bonus, providet: qui enim non providet, non eſt bonus.* Et quî demum optimus erit, niſi beneficus ſit; cum eſſe poſſit? Nam l) *id eſt melius, quod ex animi propoſito utilitatem affert aliis, quam quod nulli prodeſt.* Et ſi beneficus, etiam providens erit. Cur autem ſi beneficus ſit Deus, providus ſit neceſſe eſt? imo vero num beneficum eſſe dicemus illum, qui, niſi providus eſſet, invidus audiret? Ita certe ALEXANDER APHRODISIENSIS m) in libro de providentia praeclare argumentatur: *Dicere*, inquiens, *nolle Deum rebus noſtris providere, prorſus alienum eſt a Deo. Eſt enim invidiae cujusdam & malignae penitus naturae, meliora cum poſſit, non facere. Quoniam autem utrumque horum a Deo alienum eſt, neque ambo penes ipſum erunt, nec horum alterutrum.* Neque enim Deus, ſicut ſaepe homines, meliora faciendo, habet, quod idcirco timeat, perdat, ſperet, aut patiatur: cum habeat omnia, & prout vult, habeat. Profecto quis non eſſe melius dicet providere, quam providentiam vel nunquam habuiſſe, vel etiam modico ſolum tempore illam deponere? Cur enim imbecilles animi ſae-

k) JOANN. DAMASCEN. L. 2. de Fide, c. 29.

l) CLEM. ALEXANDR. 1. Paedag. c. 8.

m) CYRILL. ALEXANDR. L. 2. contra Julian. Apoſtatam.

ſaepius queruntur in Deo providentiam non eſſe, niſi quia in hoc quidem inſtigante natura recte ſentiunt, melius eſſe, ſi illa detur, quam ſi non detur? tametſi hoc ipſo inani querelarum cauſa nitantur. Et vero ſi homines providentia praeditos quaſi divinum aliquid ſortitos eſſe dicimus, an eosdem meliores eſſe Deo; aut quod in iis velut divinum ſuſpicimus, id ipſi Deo, a quo illi acceperunt, deeſſe ſomniabimus? Breviter haec comprehendiſſe videtur n) AUGUSTINUS, qui *nihil caſu fieri in mundo* concludit: *Quia* Deus ſummum & *immutabile eſt illud bonum, cujus participatione ſunt bona caetera, quaecunque ſunt; quod ipſum non per aliud, ſed per ſe ipſum bonum eſt; quam divinam providentiam vocamus.*

Sed nunquid etiam, qui providentiam inficiatur, is Deum factorem hujus univerſi exiſtimabit? Hoc ſcilicet argumento utebantur illi omnes, qui de divina providentia paulo elegantius philoſophati ſunt. Etenim condidiſſe mundum, & illius gerere curam, neceſſario & immoto inter ſe vinculo colligantur. Jam pridem hoc magnus ille *Plato*, qui teſte *Laërtio*, *primus in philoſophia providentiam nominavit*, intellexerat. Hinc, ut ex o) ATTICO quodam ejus ſectatore didicimus, homo ille ſapientiſſimus, ne Dei

 pro-

n) L. de Quaeſtion. 83. Quaeſt. 44.

o) Apud EUSEBIUM, L. 15. de Praeparat.

providentiam clariſſima ubivis luce circumfuſam & omnium hominum mentibus irradiantem negare cogeretur, contra nonnullorum philoſophorum, opinionem, mundum aliquando incoepiſſe, atque a Deo conditum fuiſſe aſſerebat. *Quod enim*, inquiebat ille, *ortum non habuit*, *huic neque factore opus eſt*, *neque curatore*. *Igitur ne mundo providentiam aufferret*, *negavit ortum non fuiſſe*. Qui autem effector eſt operis, ut p) PHILO uberius demonſtrat, is diſciplina & hortatu naturae inſtructus ut illud incolumi perpetuitate gaudeat, ſtudioſe attendit & providet. Nam quis parentum animos ad tantam induſtriam erudivit, ut prolium ſuarum curam & ſollicitudinem adeo conſtanter ſuſcipiant; & quaecunque illis detrimenti aliquid afferre aut nocere poſſunt, omni ſtudio ac viribus repellant; quae vero conducunt, vel aliquam utilitatis ſpeciem praeſeferunt, pari conatu & ſolertia comparare adlaborent? Quis brutorum animantium in alendis tutandisque foetibus ingenium roburque condidit? Quis tantam in illis providi laboris aſſiduitatem ſtabilivit? niſi qui univerſae naturae, tum recti honeſtique amoris & inſtinctus, quem illa ſuadet & ſuggerit, auctor, fons & origo eſt. *Ab ipſo utique*, infert THEODORETUS q), *affe-*

p) L. de Mundi Opificio, item L. de Ebriet.
q) Serm. 1. de Providentia.

affectum omnem, quo in pignora noſtra ferimur, accipimus: totus autem mundus & totum humanum genus creatoris ſui pignus eſt; & ideo ex hoc quoque affectu, quo amare nos fecit pignora noſtra, intelligere nos voluit, quantum ipſe amaret pignora ſua. Sed numquid amaret illa, niſi eadem regeret, ac provida mente illis proſpiceret? *Quis operator*, ait r) AMBROSIUS contra Epicureos, *negligat operis ſui curam? Quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit?* praeſertim *cum aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare* autem, *quod feceris, ſumma inclementia.*

Sed fortaſſis mundum ipſum a nemine, atque hinc ne a Deo quidem factum eſſe cum s) ARISTOTELE nugaberis? Fuerit ſane iſthaec nonnullorum cum Stagyrita opinio (quem tamen t) TULLIUS plane aliter ſenſiſſe teſtatur) an quidquam evidentius reperies, quam quod huic inſaniae ſanior & operoſior philoſophia nullo non tempore oppoſuit? Hinc mittamus has nugas & ingeniorum alias acutiſſimorum deliria. Nam & his non raro, quemadmodum lucidiſſimis aſtris, evenire ſolet, ut non eodem ſemper ſplendore fulgeant, ſed quasdam velut luminis viciſſitudines diminutionesque patiantur.

r) L. 1. de Officiis, c. 13.

s) L. 8. Phyſ. item L. de Coelo & alibi paſſim.

t) L. 2. de Natura Deorum.

tur. Merito igitur concludit NEMESIUS u) *Neceſſe eſt*, inquiens, *eundem & procreatorem eſſe rerum omnium & iis providentem.*

Immenſus item eſt Deus: quis enim eidem limites poſuerit? Nam quod limitatum eſt, nonniſi ab altero arctatur: alterum vero Deus, a quo dependeat, non habet. Atqui hoc ipſo, quod immenſus eſt, neceſſe erit, ut eum quoque providum eſſe dicamus. Etenim ſi per immenſitatem rebus omnibus intime praeſens eſt, an ipſum, ſicut olim Nero conflagrantem Romam vidit Romae, ita caſus hominum & mundi fata, ſeu qualemcunque rerum ſeriem in medio iſtarum intueri opinabimur? Quodſi perfectius eſt agere, quam ubi oporteret agere, otiari, quis otioſum illum potius, quam ſtrenuum ſapientemque tanti operis ſui curatorem eſſe judicabit? Enimvero, ut iisdem prope cum TULLIO x) verbis utar; aut negandum eſt, eſſe Deum; aut qui Deum eſſe concedunt, iis fatendum, eum aliquid agere, idque praeclarum. Nihil eſt autem praeclarius mundi adminiſtratione: Dei ergo conſilio adminiſtratur mundus. Agit profecto Deus; & circa illa, quae fecit, intelligentia praeprimis & voluntate, id eſt providendo, agit: ſic enim agere ſolum illius eſt, qui Deus, qui rerum omnium conditor, qui actionum no-

u) L. de Natura Hominis, c. 43.
x) L. 2. de Natura Deorum.

nobiliſſimarum hortator, exemplar & finis eſſe debet y). *Quomodo igitur*, apte refert SALVIANUS *ex* Pythagora, *negligere mundum Deus dicitur, quem hoc ipſo ſatis diligit, quod ipſum ſe per totum mundi corpus intendit?*

Quodſi aliter eſt, quomodo hunc mundum resque univerſas procreavit? Ipſa enim haec procreatio fieri ſine providentia non potuit z). *Nihil enim, quod fit, propter ſe ipſum eſt factum; ſed ad uſum aliquem fieri neceſſe eſt*: prout obſervat LACTANTIUS. Etenim quis eſt vel tam ineptus, vel tam otioſus, ut aggrediatur aliquid facere fruſtra, ex quo nullam utilitatem, nullum commodum ſperet? Qui domum aedificat, non ideo aedificat, ut tantummodo ſit domus; ſed ut habitationi ſit opportuna: qui navim fabricat, non ideo inſumit operam, ut tantum navis appareat; ſed ut in eo navigetur. Similiter caetera, quaecunque fiunt, non utique incaſſum, ſed ad uſus aliquos utiles laborantur. Divinus igitur hujus mundi architectus non more aliquo caeco, ſed ob finem, qui tam menti ſuae ſapientiſſimae, quam optimae ac perfectiſſimae voluntati potentiaeque congrueret, ingens hoc opus, mundanam videlicet machinam, conſtruxit. Quodſi finem habuit, eumque tanto Numine dignum, non jam in ipſo ſtudia praeparationes-

y) L. 1. de Gubernatione Dei.
z) L. 7. Divinar. Inſtitut. c. 4.

tionesque mediorum defuisse manifestum est. In his autem quid nisi plena consiliorum dispositio & providentia relucet? Quid enim est hoc, ea quae facis, cur facias scire, ac siquidem facere velis & possis, recte decenterque ordinare?

Sed quid tandem causae habeat Deus, cur eam, quam in condendo exhibuit curam, postea non exerceat? An cum velit quidem, non tamen potest? Atqui posse illum, quae ab eo facta sunt, testantur. a) *Etenim longe majus est e nihilo produxisse aliqua, quam jam extantibus providere.* An vero cum possit, non vult? *Velle autem ipsum eadem iterum creatura testis est: quippe nullo alio cogente ad procreandum accessit. Sed neque tanquam indigus res omnes creatas produxit. Verum quia bonus erat & beneficentia praeditus mensuram omnem superante voluit iis etiam, quae non erant, ut essent, tribuere. Qui autem tanta in ea, quae non erant, bonitate usus est, quomodo a se producta negligeret?*

Atenim numquid ipsa Dei opera non cernimus, ne quid amplius dicam, pulcherrime constituta, dispositа, firmata? Quocunque oculos animumque convertamus, mortalia, immortalia, sublimia & terrena, animata & inanima clamant, & unanimi quasi voce loquuntur, quiddam super nos esse, quod haec tam mira, tam magna, tam multa crearit,

a) THEODORETUS L. 2. de Providentia.

rit, fecerit, & creata, facta, etiamnunc dirigat & conſervet. Id autem eſt Deus, cujus ſummae ac perfectiſſimae naturae nihil magis convenit, quam ut curam tutelamque operis ſui gerere & velit & poſſit. Ad haec igitur tam illuſtria ſupremi conditoris artefacta tranſeamus; atque in his fulgentiſſimum divinae providentiae ſolem uno alterove ictu non tam oculorum quam animi contemplemur.

§. II.

Divinam Providentiam rerum conditarum ratio demonſtrat.

Duos nobis Deus, ut b) CHRYSOSTOMUS notat, ab initio magiſtros & doctores dedit, mundum videlicet a ſe fabricatum & conſcientiam. Horum uterque ſine vocis externae ſtrepitu quemque mortalium inſtituit. Profecto admirabilis mundi hujus ſtructura & elegantiſſima rerum omnium diſpoſitio quidam quaſi liber eſt omnium oculis ſemper patens; ubi in *paginis elementorum ac voluminibus temporum communis & publicae inſtitutionis doctrina legeretur* c).

Atque inter illa, quae ex rerum creatarum aſpectu naturae magiſterio diſcimus, praecipue nobis aeterna Dei cura & providentia

b) In Orat. de Anna.

c) PROSPER, L. 2. de Vocat. Gent. c. 4.

dentia declaratur. Haec enim adeo insigni literarum sententiarumque apparatu exarata ibi refulget, ut eam non una gens aut altera, sed omnes legere possint nationes, tam excultae moribus, quam barbarae, tam rudes, quam eruditi.

Sunt autem duae potissimum hujus mundi partes: quarum altera coeli astrorumque amplitudine, varietate ac ordine, altera elementorum, nec non aliarum rerum coelo subjectarum ambitu continetur. Quid vero in tanta rerum tamque vasta mole factum est temere aut sine causa? Quid non ad eum finem, cujus gratia institutum est, aptissime dispositum distinctumque cernitur? Quid non summo consilio excogitatum & elaboratum? Quam sollicite opportuna singulis, prout cujuslibet ratio exigit, adminicula sunt destinata? Et in coelo quidem videmus astrorum motus immutabili constantia esse finitos & aequabiles, omniaque ratis ordinibus moderata. Sol ille quanta quotidie sive terrarum duntaxat, sive coeli simul spatia perlustrat, ut intra commodum tempus suo partim calore, partim lumine globum terrae reficiat? Ignorare quis potest, cum terras nox opacat, Lunae tum crescentis tum senescentis, aliorumque siderum conversiones, pulchritudinem & ornatum: quorum omnium non modo aspectus est jucundissimus, sed etiam usus magnitudine commodorum,

dorum, quae inde manant, oppido praeſtans & paſſim neceſſarius? Haec navigantibus in mari metas locorumque diſtantias deſignant; aëris temperiem, temporum ſpatia, dierum noctiumque modo breviorum, modo longiorum, modo obſcurarum, modo ſubluſtrium viciſſitudines definiunt; pluvias item, grandinem, nives, glaciem variasque anni tempeſtates cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium conciliant. d) *Quis vero hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat; quae quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus?* Quam ſummam in hoc coeleſti ordine rationem cum gentiles mentis oculis ſaepe non parum obcaecati ſatis intelligere ac diſtinguere nequirent, ad illud poſtremo delapſi ſunt, ut haec ipſa ſidera totidem eſſe divina Numina crederent. Patet hoc apud e) CYRILL. ALEXANDR. ex *Juliano*, ubi famoſus hic religionis Chriſtianae deſertor & impugnator iſtam gentilium, imo, ut ipſe putat, omnium olim hominum perſuaſionem tueri nititur. Ex hac igitur ſola coeleſtium rerum tum inter ſe conjunctione, motu & elegantia,

d) CICERO, L. 2. de Natura Deorum,
e) L. 2. contra Julianum.

tia, tum uſibus ac neceſſitatibus ſubjacentis terrae accommodata ratione merito infert THEODORETUS praeſtantem aliquam ſummamque providentiam ab hominum genere ſuſpici oportere.

Quodſi a coeleſtibus rebus ad terreſtres veniamus, hasque ut illas celeri duntaxat obtutu luſtremus, quid eſt in his, quod non admirandam Dei providentiam inſigniter oſtendat? Intuemur hic prope immenſam agrorum, montium, ſtirpium arborumque varietatem: his vero interfuſa flumina, rivos, maria, inſulas quoque tam numero, quam ſitu innumerabiles: quarum rerum quanta ſunt commoda, nonniſi ſapientiſſimo conſilio inventa & alienis uſibus praeparata?

Et vero quid eſt illud, quod nunc quidem arbores fruticesque in flores & folia calices ſuos, quibus decentiſſime veſtiuntur, expandant, nunc vero veſtimentis ornamentisque ſpolientur? Quid? annon arbores & plantas id veluti perſentiſcere dicemus, quandonam calices floresque per naturae leges protrudere fas ſit: rurſus quamdiu folia ſuſtentare, & quaſi manu tenere, quando illa dimittere, viresque ſub terrae viſcera contrahere conſultum ſit? adeo ut ante praefixum tempus id nec moliri audeant, nec poſſint. Si haec oculis animoque contemplemur, animalium item numerum ac diverſitatem: dum alia terram occupant, aërem

alia

alia circumvolitant, alia undis inhaerent, alia inter terrae, quam reptando radunt, viſcera ſedem ponunt: ut in his quoque uſuum materia nobis & promptior redderetur & uberior. Haec demum aliaque fere infinita ſi non interrupto tot annorum lapſu modoque ſemper ſimili & eodem evenire videamus: quis non colligat neceſſario aliquid ſumma mente praeditum exiſtere, Deum videlicet providentiſſimum, qui perenni cura res omnes ſuperas & inferas temperat, moderatur, gubernat? Unde non immerito f) ARISTOTELES, vel quisquis eſt auctor *Libri de Mundo*, ſic infert: *Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro praecentor, id in orbe eſt Deus: hoc ſolum diſcrimine, quod in illis quidem laborioſum hoc regimen, anxium & exercitum ſit, Deo autem ſine dolore aut labore, ſejunctumque ab omni corporis niſu.* Sed haec omnia licet ordinatiſſima quadam ſerie cohaereant; cum tamen ex partibus non modo diverſis, ſed etiam inter ſe non raro pugnantibus conſtent, quomodo vel illa primum conſiſtere, vel conſervari etiamnum potuiſſent; niſi, quod egregie obſervat g) ATHANASIUS, aliqua ſuprema, ut ipſe vocat, intelligentia ſummo conſilio & ſapientia iſtarum rerum perpetuitati conſu-

 leret?

f) Libro περὶ τοῦ κόσμου, quem Stobæus citat tanquam Epiſtolam ARISTOTELIS ad Alexandrum M. Maced. Reg.

g) L. contra Gentiles.

leret? Sicut enim, inquit is L. cit., neque in civitate, neque in exercitu diu pacis tranquillitas ordoque vigeret, nisi dux aliquis, magistratus aut princeps esset, qui omnes in officio contineret, publicaeque saluti prospiceret: ita neque h) *tam certus naturae ordo procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. Hoc quidquid est, quo condita manent, atque agitantur, usitato cunctis vocabulo, Deum nomino.*

Non minus autem stirpium & animantium rata & perpetua propagatio providentem esse persuadet Deum. i) *Animalium enim quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneant?* Etenim, k) *quomodo ex homine homo, bos ex bove semper gignitur, & singula primo ex satu nascuntur, non alieno, si non est providentia?* Ita vero tam in stirpibus, quam animantibus cuncta & ordinata sunt & servantur, ut, qua ratione istarum rerum stabilis propagatio non turbetur aut cesset, forsan intelligere quidem, non tamen satis admirari possimus: quemadmodum haec TULLIUS l. c. fusius describit. Nunc autem l) *quodsi*

h) BOËTIUS, L. 3. de Consolat. Prof. 12.
i) CICERO, L. 2. de Nat. Deor.
k) NEMESIUS, L. de Animæ Facult. c. 42.
l) Ibidem.

quodſi quis naturali, ac neceſſaria quadam ſerie progredi iſta dixerit, nihil dicit aliud, niſi providentiam una cum creatione verſari. Quod enim aliqua ſerie & conſecutione creatum omne procedit, id eſt argumento, cum creatione ſimul eſſe conſtitutam providentiam. Eſt enim providentia rerum, quae ſunt, poſtquam ſunt condita, rectio & gubernatio. Ita nihil iſte dicet aliud, quam eundem & factorem eſſe & providere rebus omnibus.

Sunt autem & alia in animantibus, quae divinae providentiae foecunditatem manifeſtant. *Omnia*, inquit m) AMBROSIUS, *penetrat divina ſapientia, implet omnia: idque locupletius ex irrationalium ſenſibus, quam ex rationalium diſputatione colligitur.* Quis enim ſolertiſſimum illorum in vita tuenda ſtudium, in procurando pabulo, in quaerendis fabricandisque nidis aut latibulis ingenium & induſtriam, in alenda ſobole curam, in captanda praeda dexteritatem non miretur? Quae quidem ſunt eo praeſtantiora divinae providentiae ſigna, quo magis certum eſt, bruta animalia nullo conſilio aut ſcientia pollere. Quid? annon cuique animanti cognitum eſt, quemadmodum ſuam tueatur ſalutem: ſi virtus ſuppetit, reſiſtendo, ſi velocitas, fugiendo, ſi aſtutia, praecavendo? n) *Quis eas uſum medendi herbarumque docuit*

m) 6. Hexaëmer. c. 4.

n) Ibidem.

habere notitiam? Homines ſumus, & ſaepe ſpecie herbarum fallimur, & plerumque, quas ſalubres putamus, noxias reperimus. Quoties inter dulces epulas cibus lethalis irrepſit, & inter ipſas aulicorum excubias miniſtrorum vitalia Regum feralis eſca penetravit? Ferae ſolae norunt odore noxia & profutura diſcernere: nullo praevio praeguſtatore carpitur herba, nec laedit. Longiſſimum foret ea hic porro recenſere, quae *in eodem libro*, & a o) Basilio, p) Plinio, & inter recentiores a P. q) Pardies S. J., item a r) Julio Bernardo de Rohr, aliisque non paucis de variis animantium proprietatibus, ſolertia & quaſi provida ſagacitate copioſius afferuntur. Quae cum uſu & attentione quotidiana percipere nobis liceat, quanta in his omnibus divinae providentiae argumenta deprehendimus?

Sed unum ex alio mirandum occurrit. Structura corporum in animantibus qualis eſt? artificioſiſſima, uſibus & horum conſervationi belliſſime congruens, ſtupenda. Nam in quovis animante, ut de inſectis quoque longius refert Cl. Pluche s), oſſa inter ſe aptiſſimis nervorum juncturis conſtricta & ſoli-

o) Homil. 7. & 8. in Hexaëmer.

p) Hiſtor. Natur.

q) Diſcours de la connoiſſance des bêtes.

r) Bibliotheca Phyſica, quam recens locupletatam edidit Lipſiæ Abraham Kaſtner anno 1754.

s) In Spectac. Nat. p. 1. de Inſectis.

ſolidata reperiuntur. Haec autem operta ſunt viſceribus & venis per corpus diffuſis; ut per has veluti per rivos diſcurrens humor & ſanguis univerſa membra ſuccis vitalibus irrigaret. Iſtam demum interiorem fabricam aptiſſime conſtructam ſuperjecta pelle providus Deus contexit: quam vel ſola pulchritudine decoravit, vel ſetis adoperuit, vel ſquammis munivit, vel plumis adornavit. Quid de aliis quoque horum corporum partibus, earumque ordine, uſibus & emolumentis dicam? Nihil enim his vel ad ornatum pulchrius aliquid, vel ad tutandum aptius, vel ad nutriendum commodius, vel ad operandum expeditius, vel etiam ad quietem accommodatius ſapientiſſimorum hominum ingenia excogitare, aut elaborare artes unquam valuerunt. Profecto g) *in omni corporis parte manifeſta eſt providentiae cura: quae res ex diverſis Auctorum libris poteſt colligi.* Etenim ſi t) ARISTOTELIS, u) CICERONIS, x) THEOPHILI PROTOSPATHARII, y) THEODORETI, ipſius z) NEMESII, a) LACTANTII, Medicorumque

*) NEMESIUS L. 2. de Natura Hominis, c. 44.

t) LL. quatuor de Partibus Animal.

u) L. 2. de Nat. Deorum.

x) Epitome.

y) L. 3. & 4. de Providentia.

z) L. ſupra cit.

a) L. de Opificio Dei.

tam veterum quam recentiorum, praecipue b) SEVERINI, c) BLASII, d) COLLINSII, e) WINSLOVII, nec non aliorum complurium de partibus animalium opera & elucubrationes uberius hic inſpicere vacaret, annon totidem fere providentiae miracula, quot minima etiam in animantibus oſſicula & partes ac deſtinata his omnibus miniſteria contemplaremur? De hominis vero, quem inter animalia praeſtantiſſimum Deus eſſe voluit, ſtructura quid dicam? Hunc enim providentiſſimus rerum conditor facere quaſi coeleſtem voluit, caetera univerſa terrena. Hinc ipſum, ut eleganter deſcribit f) LACTANTIUS, ad coeli contemplationem rigidum erexit, bipedemque conſtituit: ſcilicet, ut ea ſpectaret, quorſum ſe contendere oportet: illa vero depreſſit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis exſpectatio eſt, toto corpore in humum deflexa ventri pabuloque ſervirent. Hominis igitur ſolius recta ratio eſt & ſublimis ſtatus: cujus prope divina mens, quia non tantum animalium, quae ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis eſt ſortita dominatum, in ſummo capite ſpeciatim collocata, & tanquam in arce ſub-

b) Zootomia Democritæa.
c) Anatome Animal.
d) Anatome Corpor.
e) Expoſit. Anatom.
f) Libro mox cit. c. 8.

ſublimi ſpeculatur omnia & contuetur. Hanc ejus veluti aulam Deus non obductam porrectamque formavit, ut in mutis animalibus, ſed orbi & globo ſimilem: ut hac ratione mens hominis quodam quaſi coelo tegeretur: cujus cum ſummum faſtigium naturali veſte texiſſet, priorem partem, quae dicitur facies, neceſſariis mirisque membrorum miniſteriis & inſtruxit pariter & ornavit.

Illud etiam quam eſt mirabile, quod, cum res cunctae certa ſpecie contineantur, ſibique ſecundum hanc ſimiles imo eaedem ſint, varia itidem individua earundem ſpecierum ab invicem diſcerni nequeant; hominum tamen plane alia ſit ratio? Cur enim omnium, quotquot fuerunt, aut ſunt, hominum nemo alteri ſimilis adeo extitit, ut de utroque illa inter Aſcanium & Aſtyanactem conficta comparatio perfecta ratione inſtitui, dicique vere poſſet: g) *ſic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat?* Sane niſi iſtam inter homines vultuum, lineamentorum formarumque diverſitatem divina providentia inveniſſet, eamque illis partim in fronte, partim in reliqua corporis ſpecie praefigeret, quantam in humana ſocietate perturbationem, quae immania flagitia, quot lamentabiles caſus naſci neceſſe eſſet? ſi neque conjuges ſeſe invicem, neque amicus hoſtem, neque liberi parentes, neque hi filias ab externis aut

g) Virgilius L. 3. Æneidis.

uxoribus ſuis tali ratione diſtinguerent? ſicut egregie deſcribit JULIUS FIRMICUS h). Quis porro in publicum exire non formidaret; aut quid impune facere non liceret; ubi quantumlibet facinoroſi facile in illa communi omnium ſimilitudine ac confuſione delitеſcerent?

Praetermitto hic alias res plurimas, & ordine ſuo miras, & inſtituto inſignes, & opere aut uſu eximias; quae in aſpectabili hujus mundi theatro providentiam dari uberrimo ſuffragio demonſtrant. Ad domeſticum igitur intimumque de divina providentia teſtimonium progredior; quod tum humanis omnibus expreſſius, tum ad perſuadendum efficacius merito aeſtimatur.

§. III.

Intima & Communis Hominum Perſuaſio Dei Providentiam manifeſtat.

Quod ſibi quisque intra ſe dicit teſtimonium inſtigante natura, ſi attento animo minimeque turbido penſet, i) *in eo tanta vis eſt ad demonſtrandum, ut contra dici nihil poſſit:* praeſertim ſi eundem eſſe in caeteris hominibus ſenſum & conſtantem animi ſententiam, certum & exploratum teneamus. Sed numquid naturam exuere poſſumus, ut divi-

h) L. 1. Aſtronomicorum, c. 4.

i) NEMES. L. de Nat. Hom. c. 44.

divinae providentiae lumen animos noſtros valido ſenſu non perſtringat? Niſi forſan ratio ipſa ſeceſſerit; aut aſſiduitate ſcelerum naturae vox ſtimulusque langueſcat. Nam inprimis, ut cum k) LACTANTIO loquar, *divinae providentiae effectum eſſe mundum, inter philoſophos pene univerſos convenit.* Hoc enim a *Pythagoreis*, *Stoicis*, *Peripateticis* atque a primis illis *ſeptem Sapientibus*, a *Socrate* usque ad *Platonem* pro confeſſo & indubitato habitum eſt: donec unus multis poſt ſaeculis delirus extiterit *Epicurus*; qui auderet negare id, quod eſt evidentiſſimum, ſtudio ſcilicet inveniendi nova; ut nomine ſuo conſtitueret diſciplinam: & quia nihil novi potuit reperire: ut tamen diſſentire a caeteris videretur, vetera voluit evertere; *in quo illum circumlatrantes philoſophi omnes coarguerunt.* Sed hi forſan iſtud ſcientiarum diſciplinis inſtructi, non magiſterio naturae didicere? Imo vero naturae iſta vox eſt. l) *Omnes etiam religionis expertes vi ipſa & quadam neceſſitate compulſi, & ſentiri omnia a Deo & moveri & regi dixerunt.* Cur enim ſi belli terror, ſi ſaeva tempeſtas, ſi grando, ſi morborum peſtifera vis incumbat, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas deneget, ſi aliud grave malum nobis impendeat, nullius etiam exemplo aut diſciplina eru-

k) L. 2. Inſtit. Div. c. 8.

l) SALVIANUS, L. 1. de Gubern. Dei.

eruditi, ſed m) *natura nos perducente*, ad Deum obteſtando confugimus? Quid? ſi exiſteret quidem Deus, ſed vel non ſciret, vel nollet, aut non poſſet imploratam opem praeſtare? Cur preces & ſuſpiria etiam ab invitis pectoribus natura excuteret? Ecquid ipſa nos inutiliter fatigaret; & non levibus periculis ac malis ſaepe res noſtras fortunasque & vitam ipſam objiceret: cum non raro plus animum divinae providentiae, quam proprio rerum noſtrarum ſtudio immergamus? Nam niſi hoc ipſo res omnes divino nutui ſubjacere, illiusque ſapientia & voluntate regi judicaremus, quomodo Deum ad breviſſimas ſaepe tacitasque preces nobis attentum, hortante natura, cuperemus; qui perennes & diverſiſſimos hujus mundi ſtrepitus non curaret? Quomodo illi curam injici circa res privatas exiſtimaremus, quem communis rerum omnium conditio non moveret?

Eadem ex inſtitutione, videlicet ipſius naturae, profectum eſt, ut divinitatem, ſive haec recte cum Chriſtianis unica, ſive falſo cum gentilibus multiplex ſtatuatur, cultu aliquo, ſacrificiis ac donis proſequamur. Judicamus igitur Deum & poſſe & velle nobis bona largiri. n) *Si enim Deus nihil unquam boni tribuit, ſi colentium obſequio nullam*

m) NEMES. L. de Facult. Animæ, c. 44.
n) LACTANT. de Ira Dei, c. 8.

lam gratiam refert, quid tam vanum, tam ſtultum, quam templa aedificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere (quod omnis ſemper natio faciendum eſſe putavit) *ut nihil aſſequamur?* Quodſi vero boni aliquid nobis a Deo praeſtari & mala repelli recte cenſeamus; annon hoc ipſo ex fonte providentia deducitur? Si enim Deus multis ſaepe varia petentibus poſſit annuere, quin ordo rerum turbetur; quid hoc demum aliud eſſe dicemus, quam a nobis, impellente natura, Deum eſſe providum exiſtimari? An enim Deus tam variis rebus, tam modo diſſitis, modo conjunctis, modo inter ſe pugnantibus, modo ſupra, modo infra exiſtentibus nullo non tempore intentus eſſe poſſet, niſi ſe providum exhiberet? Quomodo jam huic, jam illi petita concederet, niſi rerum univerſitatem ſolertiſſima providentia gubernaret?

Haec autem inſita omnibus hominibus de providentia Dei perſuaſio non tam ſtabilis permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſaeculis aetatibusque hominum inveterare potuiſſet, ſi ex ipſius diſciplina naturae non emanaret. o) *Opinionum enim commenta delet dies, naturae judicia confirmat.* Natura igitur ad exorandum Deum nos adhortatur: & ſi natura ſuadente id facimus; a quo alio niſi a Deo

o) CICERO, L. 2. de Nat. Deor.

Deo tanquam auctore naturae communis haec & ſalutaris animorum perculſio nata eſt? Ille autem providus non ſit, qui tanta providentia facit, ut eundem implorando providi ſimus, ejusque circa nos providentiam uberius experiamur?

§. IV.

Quaedam Adverſantium Reflexiones amica criſi expenduntur.

DIALOGUS.

ANTINOUS. PRONOEUS.

ANTINOUS. Audivi te hactenus Pronoee! multa de Dei providentia diſputantem: nunc, ſi lubet, ea ego tibi, de quibus mihi hac in re dubium ſupereſt, exponam.

PRONOEUS. Numquid illorum ex grege tu es, quorum Deus non alius niſi venter eſt? Ita enim dubitare de providentia Dei non potes, ut non ſimul una hac dubitandi ratione Deum ipſum in animo tuo quaſi abſorbeas. Qui enim dubitat, num id, quod intuetur videat, idipſum negat: ſed quid in oppoſitum afferre poſſis, percuperem ſcire.

ANTIN. Sunt ea non, ut tu fortaſſe reris, exigua: ſed quemadmodum tu Pronoee! necdum omnia, quae philoſophia ſuppeditat,

tat, de providentia divina expoſuiſti; ſic aliqua nunc quidem expromam; reliqua vero, poſteaquam te plura dicentem audivero, tunc demum proferre conſtitui.

Pron. Ita eſt: bene adhuc, quid ſupra pollicitus ſim, meminiſti: ſed neuter noſtrum promiſſa differat: ego te Antinöe! tu me pariter hodie a meridie denuo auſcultabimus. Nunc miſſis ambagibus, quid contra Dei providentiam tuo in animo coquas, palam effare.

Antin. Sane providus Deus eſſe nequit, niſi laborioſiſſimus: ut apud p) *Tullium*, neſcio quis, obſervat. Niſi quietum autem, nihil beatum eſt: proinde ſi mundo ineſt Deus, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordinesque conſervet, terras & maria contemplans, hominum commoda vitasque, ut tu Pronoee! ſentis, tueatur; nae ille eſt implicatus moleſtis negotiis & operoſis: beatus non eſt: Deus non eſt.

Pron. Audio hic, da veniam verbo, ex *Epicuri* diſciplina, ut q) *Boëtius* ait, *ſtultitiam magna latrantem.* An tu pariter eorum ex numero te eſſe prodis, qui, ſicut r) Ammonius notat, quanto intervallo divina cognitio & vis noſtram ſuperet, non intelligunt;

p) L. 1. de Nat. Deorum.
q) L. 3. de Conſol. Proſ. 12.
r) L. de Interpret.

ligunt; & propter hanc inſcitiam ex noſtris rebus conjecturam de iis faciunt, quae ad Deum pertinent; ac noſtram in illum imbecillitatem transferunt? Neſcis, quam praeclare de hoc inter alios differat s) *Plotinus*? Nam quomodo is laborare in opere diſponendo & negotiis diſtringi poteſt, in cujus ſola voluntate mundana conſiſtit operatio?

Neque vero is aliunde arceſſit ſapientiam, quam ex ſe habet: non ei adventitia eſt potentia: quidquid eſt, ipſe eſt: qua demum ratione ipſi operoſum ſit velle? Spargit etiam aeterna illa lux quoquoverſum ſuos radios; & uno eodemque, ut ita dicam, ictu ſinus omnes & abyſſos penetrat, coeli, terrae, maris: nec praeeſt ſolum divinitas haec rebus omnibus, ſed intereſt, imo ineſt. Quid miramur? Sol ille quantam mundi partem ſimul luſtrat? Noſtra mens quantam congeriem rerum una cogitatione complectitur & ſervat? O fatui! non cenſemus plura inſpici & concipi ab eo poſſe, qui hunc ipſum ſolem, hanc ipſam mentem creavit & fecit? Deum noſti? Videlicet ſummum cogites neceſſe eſt: ſummus autem penitus non eſſet, niſi etiam in cognoſcendo & operando, prout vult ac decet, ſummus foret.

ANTIN. Equidem, fateor, ſi Dei naturam lumine rationis attentius contempler, facile illa omnia, quae hic affers, intueor: verum

s) Enn. 4, L. 4, c. 12.

verum an tot innumera, quibus hic mundus concutitur, mala ingruerent, ſi Dei providentia praeeſſet? Id profecto non capio. Et quoniam ex *Epicuri* diſciplina, quae antea dicebam, prodiiſſe ajebas; ecquid ille non inepte hic arguat, patienter, quaeſo, excipias.

Pron. Numquid caſum tu aliquem caeco rebus omnibus impetu dominantem affe-res; aut ſimile commentum ab ipſis gentilibus deriſum, & validiſſimis argumentorum velut copiis laceſſitum ac profligatum recenſebis?

Antin. Minime id nunc quidem; ſed idem mihi, quo tu antea uſus es, argumentum *Epicuri* videtur. Sic enim is colligit: Deus aut vult tollere mala, & non poteſt; aut poteſt, & non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & vult, & poteſt: ſi vult, & non poteſt, imbecillis eſt; quod in Deum non cadit: ſi poteſt, & non vult, invidus; quod aeque alienum a Deo: ſi neque vult, neque poteſt, & invidus & imbecillis eſt; ideoque neque Deus: ſi vult, & poteſt; quod ſolum Deo convenit; unde ergo ſunt mala? Aut cur illa non tollit? Haec ſi apud t) *Lactantium* ſaepius a te citatum legere velis, invenies & illud, quod ibidem additur: *Plerosque philoſophorum, providentiam defen-*

t) L. de Ira Dei, c. 13.

defendunt, hoc argumento perturbari ſolere, & invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur.

PRON. Non eſt, Antinöe! non eſt, cur inſigne quid arbitrere, quod *Epicurus* ſtolide hic immurmurat: annon advertis, quod in poſtremo haereat? Neſcit is, cur Deus tot mala permittat; vel etiam, quod non abnuo, adornet: igitur providentiam negat. An propterea, ſi non capit quod ipſi forſan obſcurum eſt, negare debuit alterum, quod neminem latere poteſt? Quis enim ſapiens ideo dari oceanum negabit, quod ejus menſuram non aſſequitur? Quis anceps haerebit, an luceant ſtellae, quod easdem numerare non poteſt? Sic quando effecta omnia & quaſi veſtigia providentiae indagare non vales, eam ne dari quidem ſomniabis? Divina eſt, Antinöe! nec tam circumſcripta limitibus, ut comprehendi ab homine poſſit. Altiora ſunt illa aeterni conſilii decreta, quam ut examinari a nobis poſſent, aut debeant.

ANTIN. Sed antequam a te, cur tot mala Deus non impediat, porro intelligam, cave ſis, ne plura mihi, quam propoſui concedas: a Deo mala ſaepe non tolli aut impediri aſſerebam: tu vero eadem non raro cudi ab ipſo, velut a Jove fulmina contendis.

PRON. Imo nihil omnino in hac grandi mundi machina geritur, turbatur, miſcetur (peccatum excipio) cujus non cauſa & origo a prima illa cauſa ſit. Quod ibi monſtra & ferales beſtiae naſcantur; quod alibi peſtifera labes multa hominum millia abſorbeat; a providentia eſt: quod caedes & bellum plurimas regiones, & non ita pridem magnam partem Germaniae vaſtarit; quod eadem haec bellorum incendia quaſi per orbem redeuntia noſtris plerumque terris injiciantur: ab iſta: quod integra etiam regna labantur & intereant; ab eadem iſta: nempe fluxus omnis & refluxus rerum mundanarum ab eadem illa luna dependet, ortus regnorum & occaſus ab illo ſole.

ANTIN. Hoc ipſum denuo non leviter animum meum perturbat: quî enim, ſi haec Deo non ſolum permittente, ſed ipſo etiam auctore fiant, in ipſo providentia ſuperſit?

PRON. Igitur animum adverte: nam imprimis, quod uni malum eſſe videtur, numquid alteri bonum eſſe nequeat? Si verſus u) *Proſperi* hac de re legeres, quam eleganter hoc expreſſum invenires? Certe quod obeſſe videtur parti, totum ſaepe mirifice juvat. Cur medicus hirudines ali, & corporibus applicari jubet? cur venam ſecari? cur integras interdum partes amputari a

u) Carmine de Providentia.

corpore conſultum exiſtimat? cur princeps arma ſaepe multis nocitura confici, ſuisque non raro ſubditis inferri ſummo conſilio imperat? nonne ut haec omnia in totius corporis, in univerſae patriae ſalutem & commoda referantur? videlicet Deus totum, quod condidit, opus ſingulari cura complectitur. Qui tantum ſingularia curat, ne quid in his ſubſit mali, ſtudioſe cavet: ſed univerſum adminiſtrans, quae huic bona ſunt, praeprimis attendit. Nam ad x) *prudentem gubernationem pertinet, negligere aliquem defectum in parte, ut faciat augmentum in toto.* Hinc illa, quae putas mala, vel mala non ſunt, vel ſi ea quidem uni aut pluribus velut mala eveniant; tamen, ſi rationem rerum omnium ſpectes, adeo mali naturam non habent, ut potius bona cenſeri debeant.

Antin. Fruſtra haec Pronoee! fruſtra dicis: nam ea, quae nos mala judicamus, ideo bona eſſe affirmas, quia proſunt huic univerſo: ſive ut tu explicare mihi quidem videris; quia iſta mala, quae fiunt, ad finem, quem auctor naturae univerſim ſibi praefixit, quam belliſſime aptantur. Hic autem duo ſunt, quae vehementer contra te pugnant. Primum enim abs te quaero: cur prodeſſe illa potius, quam nocere huic univerſo dicas? Deinde cur proſpicere Deus huic

x) Thom. Aquin. L, 3. contra Gentes, c. 71.

huic universo vel noluit, vel non potuit, quin privata inferre detrimenta statueret?

Pron. Sane quod olim y) *Seneca* confidenter edixit: *Se rem non difficilem facturum, causamque Deorum acturum;* id ego satis meo in animo experior: adeo enim, quae hic objectas, difficilia non apparent, ut providentiam Dei ulterius tueri suave mihi ac jucundum videatur. Non vides, quod haec ipsa, quae affers, providentiam potius exornent, quam deprimant? Nimirum, positis in propinquo malis, non solum notiora, sed etiam praestantiora & multo ampliora redduntur bona. *Ideo*, inquit z) Synesius, *ficus videmus suavissimum esse fructum*, quoniam *folia*, *corticem & truncum acrioris esse succi* experimur. Quis integrae valetudinis pretium melius novit aestimare, nonne qui aegritudinis molestias sustinuit? Quis dulcedinem quietis, quis securitatem portus, quis amicitiae suavitatem & commoda dignius celebrabit, quam qui laborum fastidia, qui maris rabiem ac tempestatum pericula, qui perfidiam & inimicorum insidias intueri potuit, aut sentire? Certe a) *perfecta bonitas in rebus creatis non inveniretur*, *nisi esset ordo bonitatis*: id est, nisi, dum bona sunt caetera, quaedam

y) L. de Provident. c. 1.

z) L. 2. de Provident.

a) THOM. AQUIN, L. 3. contra Gentes, c. 71.

dici poſſent deteriora. *Multa* igitur *bona ſunt in rebus, quae niſi mala eſſent, locum non haberent. Sicut non eſſet patientia juſtorum, ſi non eſſet malignitas perſequentium, nec eſſet locus juſtitiae vindicativae, ſi delicta non eſſent. In rebus etiam, naturalibus, non eſſet unius generatio, niſi eſſet alterius corruptio: ſi ergo malum totaliter ab univerſitate rerum per divinam providentiam excluderetur, oporteret etiam bonorum multitudinem diminui.* Nec-dumne intelligis, Antinöe! cur Deus huic univerſo tot inſperſerit mala, illudque velut mare inſulis diſtinxerit? Sed ſinamus porro loqui Doctorem, coram quo ipſe Plato quaſi quidam, ut b) *Cicero* ait, philoſophorum Deus erubeſceret. Sic autem ille paulo inferius pergit: c) *Quodſi malum a quibusdam partibus univerſi ſubtraheretur, multum deperiret perfectioni univerſi, cujus pulchritudo ex ordinata bonorum & malorum adunatione conſurgit: dum mala ex bonis deficientibus proveniunt; & tamen ex eis quaedam bona conſequuntur ex providentia gubernantis: ſicut & ſilentii interpoſitio facit cantilenam eſſe ſuavem.* Hinc etiam ex commixtione malorum, quae tibi immerito diſplicent, Deus hunc mundum quaſi quoddam pulcherrimum carmen, velut ex antithetis concinnavit. *Sicut*

b) L. 2. de Nat. Deor.

c) Loc. cit.

d) *Sicut ergo ipſa contraria contrariis oppoſita ſermoni pulchritudinem reddunt; ita velut quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione, ſaeculi pulchritudo componitur. . . . Sic intuere in omnia opera altiſſimi bina & bina, unum contra unum.* Neque illud ignorari debet, quod ipſis etiam malis ſua ſaepius remedia non ſolum efficacia, ſed & ſimul prompta Deus obtulerit. Unde quod Nilus aridam AEgypti tellurem exundante quot annis alveo foecundet: quod iisdem in locis, ubi venena ſuccreſcunt, herbae medicae illis inimicae naſcantur: quod ubi ſerpentes & viperae poſuere latibula, ibi frequentior veniat fraxinus; cujus arboris fructibus peſtiferum illud agmen abigitur: quod, ubi furunt & nocent crocodili, mus Indicus ibidem ſubſidio ſit: quod demum, ut innumera taceam, tibi Antinöe! non ignota, quod, inquam, nulla ſit regio, nulla fere civitas aut terrae locus, in quo adverſantia malis auxilia cernere non liceat & admirari.

ANTIN. Quae hic recenſes e) ex Hiſtoria praecipue Sinarum hauſiſti: ſed operae pretium non eſt iſta pauca duntaxat referre; cum multo admirabiliora enumerari poſſent. Cur igitur non alia hic commemoras?

d) AUGUSTIN. L. 11. de Civ, Dei, c. 18.

e) Joann. Metell. p. 4.

Ego ipſe quam mira, quam multa his ſimilia, vidi, legi, audivi?

PRON. Scilicet an tu puerorum inſtar confertis ſolum narratiunculis delectare? Nonne jam ex iis, quae dixi, quaeque tu ipſe noſti, abunde intelligis, quam miro & provido conſilio ſua malis antidota ſint praeparata? Etiam illud praeclarum eſt, quod affert f) LACTANTIUS, ideo videlicet Deum non ſolum bona, ſed mala ordinaſſe; *quia homini ſapientiam dedit, cujus omnis ratio in diſcernendis malis ac bonis poſita eſt. Non poteſt enim quisquam eligere meliora, & ſcire, quid bonum ſit, niſi ſciat ſimul rejicere, ac vitare, quae mala ſunt. Invicem ſibi alterutrum connexa ſunt, ut ſublato altero, utrumque tolli ſit neceſſe. Propoſitis igitur bonis malisque, tum demum opus ſuum peragit ſapientia: & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad ſalutem. Ergo ſicut bona innumerabilia data ſunt homini, quibus frui poſſet, ſic etiam mala, quae caveret. Nam ſi malum nullum ſit, nullum periculum, nihil denique, quod laedere hominem poſſit, tollitur omnis materia ſapientiae: nec erit homini neceſſaria. Poſitis enim tantummodo in conſpectu bonis, quid opus eſt cogitatione, intellectu, ſcientia, ratione; cum quocumque porrexerit manum, id naturae aptum & commo-*

f) L. de Ira Dei, c. 13,

modum ſit ? Ut vero evidentius rem ſupra propoſitam capias ; quaero ex te : num illum, quem cernimus, mundum, reſque ſingulas ex natura ſua aeviternas eſſe arbitraris: nihil ut mutari, permiſceri, tollive debeat ; niſi hoc ipſo talium rerum natura laedatur? Si ita judicas, quaero rurſum, an, quia de natura rerum iſtarum loquimur, eſſentiam intelligas; an vero qualemcunque exigentiam ? Si eſſentiam dicis, ergo cum continuas rerum mundanarum viciſſitudines intuearis ; illarum eſſentias mutari poſſe, idemque ſimul eſſe, quod eſt, & non eſſe, tibi ſtolide fatendum eſt: ſi arbitrariam exigentiam naturae nomine complecti velis; dic, quaeſo, quid illud eſt, cur res illae potius exigant perpetuo durare, quam aliquando deficere ? Nihil certe invenies. Providentiam igitur cavillabere, ſi eveniant ea, quae, ne aliquando fiant, nulla eſt, cur autem oriantur , non una pugnat ratio? Quid enim hic malorum nomine aliud, quam mala, ut vocant, *phyſica* comprehendimus? inſtrumenta videlicet, quibus variae hujus mundi partes viciſſitudinum procellis involvi ſolent. Imo niſi rebus omnibus creatis illud ineſſet ingenium, ut inſita quadam vi ad mutationem & caſum vergerent, ſed perpetua & immota ſtabilitate florerent; an illa hominum inſania ſatis propelli poſſet; qua eundem hunc mundum ab aeterno

extitiſſe ; ac quamdam divinitatis ſimilitudinem continere fabularentur ? Merito igitur animalibus, oppidis, regnis, hominibus, rebusque univerſis (ſi animas hominum exceperis) internae ſunt & ſuae pereundi cauſae: atque ut flumina prono ac perpeti curſu feruntur ad mare, ſic illae res omnes per hunc malorum quaſi canalem labuntur ad ſuam metam : meta vero illa eſt mors & interitus ; quibus peſtis, bella, caedes & omnis generis offenſiones ac ruinae ancillantur. Haec, mi Antinöe ! niſi demum capias ; ſi nihilominus ordinem totius univerſi ab auctore naturae ſapientiſſime conſtitutum absque conſilio fluere opinaris; nae tu illis merito ſimilis eſſe dicare, qui quoniam nauſea & vertigine laborant, inverti ac moveri omnia putant ; cum ipſimet invertantur. Hic vero ſubrides tu : quid ergo ? num reſtat eorum aliquid, quae, ut exponerem tibi, diſputatione inſtabas ?

ANTIN. Nimirum optabam ego, a te Pronoee ! redargui ac vinci. Non enim, ut tu ſuſpicaris, eorum e numero ſum ego, qui vitae liberioris gratia providentiam impugnant. Scio veriſſimam eſſe *Attici* cujusdam *Platonici* ſententiam: g) *Parata quaedam res eſt & proclivis ad impietatem providentiae deſperatio.* Ea vero, quae diſputavi, dif-

g) Apud THEODORET. Orat. 6.

differere malui, quam judicare. Sed ne dubium mihi ullum ſuperſit aut redeat, perge, ſi lubet, antequam prandendi tempus adveniat, argumentum pertexere.

PRON. Praeclare mones ex *Attico*: etiam illud mihi magnopere placet, quod animum praejudiciis obſeſſum huc non attuleris. Hoc enim hominum genus, qui ſuis opinionibus immoti adhaerent, quis non averſetur? Incaſſum agit, quisquis illis perſuadere aliquid laborat. His equidem te annumerare non ſum auſus: inter illos tamen aliquem te eſſe judicavi, qui, dum ſcientiam profitentur, varia forſan ingeniosius quidem, ſed ſimul infelicius perquirunt: nunc rectos etiam hominum mores, jam ſcientiarum & artium diſciplinas, mox integerrima ſummorum Principum facta, quin etiam ſacerrima religionis myſteria nimium Ariſtarchici & faſtuoſi expendere, vituperare, calumniari non verentur: dumque in terris nihil, cujus ipſi cenſores eſſe vel poſſint, vel audeant, reſiduum habent; ut ementitam ſibi ſagacitatis & prudentiae laudem eo amplius extorqueant, ad coelos ipſos gigantum more Catones iſti oppido ridiculi ſuorum auſa ingeniorum & carpendi licentiam extendere praeſumunt: providentiam praecipue incuſant: multa illis vel rectius pulchriusque poſſe conſtitui, vel ordinari facilius,

lius, vel ſapientius regi aequiusque administrari videntur. Sed cum hi ſaepe indigna, turpia, nefanda ſaltem intra conſcientiae ſuae latebras exerceant, ordinemque rectae rationis omnino perturbent; quid putas, Antinöe! de illorum ſapientia ſtatuendum eſſe? Certe vix inanem in illis providentiae umbram perſaepe reperias: cum peſſumdata probitatis lege impendentium & graviſſimorum malorum periculis ſe ipſi temere objiciant. Igitur nunc magnopere gaudeo, hujus indolis hominem te non eſſe. Nam ſcito, unam ex praecipuis cauſam, cur Deus tot mundo mala inſeruerit, hanc eſſe, ut hominum audacia & perverſitas caſtigetur. Id enim providi gubernatoris ſingulare munus eſt, non ſolum recte facta praemiis afficere, ſed etiam, quae inique fiunt, poenis cöercere, Has autem poenas Deus uſu illorum, quae tu antea mala nuncupaſti, non raro infligit. Scio multorum hanc eſſe opinandi levitatem, ut res proſperas aeque ac infauſtas intra *ſolius fortunae arcam*, ut h) *Böetius* loquitur, geri atque caeca quaſi manu inter homines diſpenſari exiſtiment. *Toto mundo*, inquit i) Plinius *& locis omnibusque horis omnium vocibus fortuna ſola invocatur, una nominatur, una*

h) Loc. ſupra cit.

i) L. 2. c. 7.

una accuſatur, una habetur rea, una cogitatur, huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in ratione mortalium ſola utramque paginam facit. Sed erras profecto, erras, ſi ita ſentis: & quoniam hic de malis eſt ſermo; lege, ſi placet, omnium aetatum hiſtorias: & invenies plurimarum civitatum regnorumque caſus & interitus ob unas incolarum injuſtitias, dolos & flagitia juſto Dei judicio concitatos fuiſſe: tum ut aliorum plecteretur inquitas; tum ut ſimilis aliorum inſania fraenaretur. Quid de reliquo malorum genere loquar? iisdem illa ex fontibus multoties promanant. Attolle, & circumfer mecum oculos: vetera illa orbis regna contemplare: cecidere illa; & quid aliud impetum illis dedit, niſi & Regum & ſubditorum ſcelera? Percurre animo, ſi potes alia plurima, ſive quae antiquitus, ſive quae propriore temporum aevo accidere: quid hic vides, ſi rite obſerves, niſi malorum catervas, Dei utique vindicis adminiſtras? Conſidera privatorum hominum acerbiſſimos caſus: & hic denuo longius attende: quid? nonne criminum monſtra in-

tue-

tueris, tot malorum genitrices? Maris rabiem & procellarum vim noſti? ventorum illa conſpiratione commovetur: ſic illa, quae recitare poteris mala, noſtra ſaepius concitantur inſania: inſania dico, quam ſcelerum quaedam dulcedo parit, diuturnitas ſuſtentat. Inaniter etiam horum malorum cauſas e veſtigio inſequeris: non illa ſtatim ſaeviunt: ubi eorum irritamenta praeceſſere: tonitrua expertus es: numquid plurium ſaepe dierum ingraveſcens calor anteceſſit? ex calore igitur fulgura & tempeſtates arguis, ſed illa non ſtatim: ita ſuae ſunt malis cauſae; at non ſemper nimium properae. Neque vero eſt, Antinöe! cur iſta longius deducam: omnium fere hominum iſta conſenſio eſt. Cur enim ipſi etiam gentiles fictitios olim Deos hominum delictis offenſos variis precum & ſacrificiorum cerimoniis denuo placare ſtuduerunt? Cur improbi potius, quam probi mala iſta perhorreſcunt? Mihi crede, naturae iſte ſenſus eſt: quid enim aequius fieri quisque cenſere debet, quam ut Deus eorum cauſa, qui a rectae rationis tramite in ſcelerum labyrin-

rinthos inſiliunt, providentiae ſuae filum proſpere intextum pauliſper involvat, & varia malorum monſtra non ſolum oſtendat, ſed etiam immittat & incitet?

ANTIN. In novum profecto ac difficile dubium me conjeciſti, Pronoee! Nam licet in caeteris perſuaſum me habeas, illud minime cum providentia conciliare valeo, quod homines multa virtute praediti non raro inter graviſſimarum acerbitatum turbines miſere luctentur; cum interea ſceleſti ſaepe nihil adverſi ſentiant, ac ſecundo & tranquillo amne navigent. Sed nolim tibi ultra moleſtus eſſe: ad pomeridianum iſta colloquium, ut antea inter nos convenit, rejiciemus: non enim una, ſi recte conjicio, reſponſione res iſta finiri poterit.

PRON. Veterem hic & pervagatam multorum querelam recoquis; quam k) *Tullius* ex Telamone proſequitur: ubi hic Deorum erga homines curam ita inſimulat: *Nam ſi curent, bene bonis ſit, male malis, quod nunc abeſt.* Verum, cum nos hora vocet,

k) L. 3. de Nat. Deor.

vocet, eamus: ampliorem, ut ipſe mones, propoſita quaeſtio diſputandi locum ſibi poſtulat: tu interim ea me dicturum confide, quae tibi perſuadeant, veriſſimam eſſe hanc 1) *Chryſippi* ex Socrate ſententiam: *ſi adminiſtratio fingi nulla poteſt divina melior; prorſus de his, quae fiunt, exiſtimandum eſt, ſic evenire, ut eveniunt, eſſe ſatius.*

Vale.

1) Apud Cyrill. Alex, L. 3. contra Julian,

PARS SECUNDA.

PROVIDENTIAE DIVINAE RATIO CIRCA RES OMNES ET SINGULAS DETERMINATUR.

Haud exiguam disputandi materiam relinquit non tam numerus, quam diversitas eorum, quae divinae providentiae sinus perenni cura complectitur. Etenim & multitudine rerum & varietate prope infinita mundi hujus pulchritudo & elegantia plane admirabilis efflorescit. Quid igitur? an eorum omnium curam gerit Deus? an etiam singulorum? an rerum etiam, quae minimae viliſſimaeque censentur? an parem circa unumquodque providentiae suae tenorem observat? an vero majori, minorive res aliquas, aut generali omnes sollicitudine fovet ac tuetur?

Crevit haec olim inter philosophos gentiles plena periculis controversia; totidemque fere in errores desiit, quot illorum fuerant, qui eandem sibi enodandam susceperе. Vere namque, ut ait m) JUST. LIPSIUS, *isthaec charybdis est, quae multorum ingenia absorpsit.* Cum enim illi partim superbia infla-

m) L. 1. de Constant. c. 21.

inflati, partim multitudini Deorum nimium dediti, partim vero etiam voluptatum amore depreſſi, aut certe quidlibet ſentiendi audacia confiſi, vaſtiſſima divinae providentiae penetralia temere perveſtigarent; eam nobis velut effigiem caeca manu elaboratam exhibuerunt.

Nam licet multi eorum praeclaram de providentia doctrinam profiterentur, illud tamen fere omnibus erat commune, quod inſignem ſimul errorem aliquem inſererent.

Horum nunc praecipuos & tanquam aliorum capita breviter recenſebo: tum quia ipſi etiam errores non incogniti quodammodo delectant, non ſecus ac tuto in loco perſpecta naufragia; tum ut vera providentiae imago primum quidem in tenebris, poſtea vero in luce conſtituta, & jam pridem genuinis coloribus expreſſa nunc denuo paulum amoenior compareat.

§. I.

Praecipua quaedam circa Providentiam Syſtemata & Errores.

Principem de providentia fabulam concinnavit *Plato*, qui, tametſi res univerſas & ſingulas a providentia gubernari affirmaret; hujus tamen officii rationem, ut ex n) NEMESIO conſtat, non in Deo duntaxat, ſed in tri-

n) L. de Facult. Animae, c. 44.

triplici moderatorum claſſe conſtituit. * *Primum* & praecipuum providentiae munus aſſignabat Deo principi, videlicet Jovi, quem velut ſummo in loco ſedentem huic toti mundo ita praefecit, ut is primum. *Ideis*, deinde *coelo*, *ſideribus*, tum *Univerſalibus* nempe *generibus*, *ſubſtantiae*, *quantitati*, *qualitati*, *formis* item, quae prioribus velut *ſpecies* ſuis *generibus* ſubjectae ſunt, perpetua cura invigilare dicatur. ** *Alteram* regendi & curandi

* *Quis hic* Platonem *& ex hoc* Julianum Apoſt. *apud* CYRILL. ALEX. *L.* 2. contra *eundem* Julian. *delirantes aequo animo audire poterit? quando aſſerunt, inferiores mundi partes a Diis minoribus, quos antea Jupiter condidiſſet, juſſu ejusdem Numinis fuiſſe productas: ne, ſi Jupiter tanquam immortalis & ſempiternus eas ipſe faceret, illae quoque perpetuitatem nanciſcerentur. Quaſi vero non id a Diis minoribus eodem ex capite timendum fuiſſet; aut Deus ſolum ſui ſimile ac quodammodo divinum efformare poſſet. Rectius igitur cecinit* PROSPER *in* Carmine de Providentia:

Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipſe
Et regit: utque nihil non ortum ſumpſit ab illo &c.

** *En foetidam lacunam! cujus faece ſuum* Ariani *errorem perſperſere: qui ſolum Dei filium* ἀμέσως, *id eſt*, nullo interpoſito, *genitum a Patre ac procreatum, res vero alias a Filio fabrica-*

randi provinciam demandatam esse dicebat a supremo Numine Diis minoribus, qui coeli orbitam volventes, animalium ignobiliorum, stirpium aliarumque rerum, quae gignuntur, ortus & interitus dirigerent. *Tertiam* statuit providentiam, penes quam sit rerum agendarum, eventuum naturalium, necnon divitiarum aliorumque bonorum, quae fortunae dicuntur, administratio. Huic curae praeesse censet certos quosdam daemones humanarum actionum custodes; de quibus canit HESIODUS o), a quo *Plato* delirare didicit.

Ex hac *Platonis* & *Hesiodi* fabula quasi ex turbido fonte profluentes rivi omnium fere antiquorum philosophiam inquinarunt. Id certe tum ex aliis, tum ex p) AUGUSTINO, qui hanc veterum opinionem solidis argumentis evertit, perspicere licet.

Stoici q), qui & fatum dari & in nostra esse aliquid potestate arbitrati sunt, providentiam, cui alias favebant, sua hac opinione dilacerarunt. Eundem ad lapidem pedes offendisse r) CICERO, ac propterea circa pro-

bricatas fuisse fingebant: quos haereticos CYRILLUS ALEX. L. Thes. 15. *tum ex aliis argumentis, tum etiam ex providentia, quam Deus habet erga res singulas, confutat.*

o) I. Oper.
p) L. I. de Civ. Dei, c. 8. & L. 10. c. 14. & seq.
q) NEMES. L. de Fac. Anim. c. 25. & 42.
r) L. 2. de Divinit.

providentiam, qua liberae hominum actiones reguntur, ceſpitaſſe, non tam ingenii lapſu, quam fere communi Stoicorum impetu, videtur. Nam hi fati appellatione rerum omnium actionumque neceſſitatem, quam nulla vis rumpat, intelligebant. Hinc non modo a veritate, verum etiam ab ordine ac connexione aberrarunt. Quî enim aliquid in noſtra ſit poteſtate, ſi hominum voluntas illi penitus ſubjaceat neceſſitati, cui etiam Dei poteſtas ſit alligata? s) SENECA ſane, *porticus illius tibicen*, haud infirmus ut eum LIPSIUS vocat, in haec impingere videtur, libro quo minime debuit. *Eadem neceſſitas*, inquiens, & *Deos alligat. Irrevocabilis humana ac divina pariter curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. Semper paret, ſemel juſſit.* Aſt, ut proſequitur t) LIPSIUS, *germani tamen verique Stoici, aperta fronte nunquam iſta profeſſi ſunt: aut ſiquid tale iis elapſum in calore illo, ut fit, ſcribendi ſive diſſerendi; verbis id magis tale comperies, quam re & ſenſu. Chryſippus ipſe (qui primus corrupit & enervavit virilem ſectam ſpinoſo acumine quaeſtionum) de libertate imminuta apud Agellium diluit & purgat. Nec Seneca noſter Deum fato ſubjicit. (ſanior illi mens) Sed genere quodam ſermonis*

s) L. de Provident. c. 5.

t) L. 1. de Conſtant. c. 18.

monis Deum Deo. Nam qui inter eos proxime verum acceſſere, fatum alias providentiam ipſam appellabant, alias Deum.

Ariſtoteles, ſicut ex libro ſexto Ethicorum ad Nicomachum colligit u) NEMESIUS, adminiſtrari a ſola natura voluit ſingula. Sed quis demum divinabit; quid quisque olim naturae nomine intelligi voluerit? Alii certe, ut ex x) TULLIO patet, eam caecam; alii ratione & ſcientia, praeditam eſſe affirmabant. Illud praeterea ex y) AMBROSIO & z) LAËRTIO de *Ariſtotele* conſtat, quod Dei providentiam, quam iſte aſſerebat, *non ultra lunam deſcendere, Deumque ſuis contentum eſſe finibus, & praeſcripto regni modo degere; terrena vera conſenſione quadam & conſpiratione volvi judicaverit.**

Menander a) & *Euripides* providentiam intra ſolos humanae mentis limites definiebant, Hi enim *mentem, quae in quovis ſit, cuique providere aſſerunt, Deum vero neminem.*

Eadem

u) L. cit. c. 44.

x) L. 2. de Nat. Deor.

y) L. 1. de Officiis, c. 13.

z) In Vita Ariſtotelis.

* *Hinc* Plutarchus. *Deum, qualem hic deſcribit* Ariſtoteles, *merito vocat* Speciem *ſive* Formam, *quandam* ſeparatam, εἶδος χωριστὸν, *inſidentem globo univerſi. L. 1. de Plac. c. 7.*

a) NEMES. L. cit.

Eadem fere opinionis insania laborarunt b) *Heraclitus* & *Democritus*, cujus fontibus, ut ait c) CICERO, hortulos suos *Epicurus* irrigavit. Hi enim neque universis, neque singulis a Deo provideri, sed omnia, quae sibi mens nostra non procurat, temere ac fortuito casu evenire docuerunt. d) *In quo convenienter suis principiis existimant. Nam qui putant hoc universum casu & temere esse constitutum, merito dicunt, omnia vacare providentia. Quorum enim nemo creator sit, eorum quis sit procurator? Est enim evidens, temere ferri, quae a principio temere procreata sunt.*

Divinam providentiam ii quoque sustulerunt, quorum erat opinio, dignum esse risu, qui putat, e) *agere curam rerum humanarum illud, quidquid est summum.* Huc etiam pertinent *Manichaei* f), qui duo statuerunt rerum omnium principia, alterum bonum, malum alterum: ex quibus innata quadam necessitate ac caeco impetu provenirent omnia. Similia commenti sunt *Priscillianus* ejusque sectatores, qui rerum eventus ex astrorum situ ac motu pendere crediderunt. Alia denique tam recentiorum, quam veterum circa providentiam deliria vel Atheo-

b) Ibidem. c) Loc. cit. d) NEMES. L. cit.
e) PLINIUS L. 2. Hist. Natur. c. 7.
f) AUGUSTIN. Variis in locis contra Manich.

rum ineptiis, vel vagis tantum opinionibus innituntur. Cum enim multa in hoc mundo fieri cernant, quorum ipſi ſufficientem, cur ita ſint, rationem nequeunt invenire; aut quae aliter evenire debuiſſe opinantur: hinc vel nullam dari cenſent providentiam; vel eam divinam quidem, ad hominum tamen non ſemper optimorum indolem, & aliena curandi normam parum induſtriam aut aequam emetiri non dubitant.

Praeterea non omnino infrequens eſt & ſingulare, circa rerum eventus etiamnum Fati appellationem audire: tametſi hoc inane ſpectrum, quod integras olim ſapientum ſcholas exterruit, vix amplius priſcam illam in animis hominum ſtoliditatem excitare valeat. Eſt autem Fatum, quod Graeci Εἱμαρμένην nuncupabant, potiſſimum triplex: ſcilicet *Aſtronomicum* ſive *Mathematicum*, cujus neceſſitas ab aſtrorum curſu aut ſitu emanare dicebatur. *Stoicum*, de quo paulo ante. *Spinozaeum* ſic dictum a *Bened. Spinoza*, primum Judaeo, poſtea Calvini ſectatore, demum Atheo: eſtque ſeries rerum infinita neceſſario ex Dei, quem is re ac ſenſu negat, natura promanans. Deum enim nihil aliud eſſe dicebat, quam ipſum hoc univerſum cogitatione & extenſione conflatum; cujus neceſſarias modificationes rerum nomine impoſtor ille intelligebat.

Fatum

Fatum quod etiam * fatalis neceſſitas a Veteribus appellatum eſt, ipſis nihil aliud erat, quam praecedentium cauſarum & ſubſequentium rerum, quaedam catenae inſtar fluens & immota perplexio. Sed ſi demptis erroribus nomen retineas, dici cum g) Boëtio poteſt *inhaerens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuis quaeque nectit ordinibus.* Eandem fati notionem Seneca (quod in homine Stoico quidem, ut ſupra memoravi, non magnopere mirandum eſt) expreſſam reliquit; dum ita monet: h) *Quoties voles, tibi aliter hunc auctorem rerum & naturarum compellare. . . . Hunc eundem & fatum ſi dixeris, non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud ſit, quam ſeries implexa cauſarum, ille eſt prima omnium cauſa, ex qua caeterae pendent.* Modeſtum igitur piumque fatum nominamus, ut iterum recte advertit i) Just. Lipsius, qui hoc ab illo violento quatuor his finibus abjungimus. Illi veteres Deum ipſum fato ſubjectum eſſe contendunt; nos fatum, id eſt, rerum eventus

* Sic Horatius Ode 35. l. 1. ad Fortunam:

Te ſemper anteit ſaeva neceſſitas
Clavos trabales, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum.

g) L. 4. de Conſol. Philoſ.
h) L. 4. de Beneficiis, c. 7.
i) L. 1. de Conſtant. c. 20.

Deo. Illi ſeriem cauſarum naturalium ab aeterno fluentem comminiſcuntur; nos agmina illa & volumina hujusmodi cauſarum nec ſemper (Deus enim prodigii aut miraculi cauſa ſaepe citra, imo contra naturam agit) nec ab aeterno (nulli enim rei praeterquam Deo competit aeternitas) intricari & volvi coepiſſe aſſerimus. Illi τὸ ἐνδεχόμενον ſuſtuliſſe videntur e rebus; nos id reddimus; & ſiquando contingens eſt cauſa, eventum pariter contingentem fortuitumque eſſe judicamus. Illi violentam voluntati noſtrae vim inferri confingunt: abeſt hoc a nobis, qui & fatum non negamus; & in gratiam tamen cum arbitrii libertate reducimus. k) *Ita enim fallacem caſus & fortunae ventum fugimus, ut navim ad neceſſitatis ſcopulum non allidamus.*

Sed de his ſatis: ad ipſius nunc divinae providentiae ſacrarium propius inſpiciendum revertimur. Errorum enim, quos hic retulimus, ea eſt ratio, ut aut ipſa temporum longinquitate obſoleverint, aut ex iis, quae diximus, ac dicturi ſumus, facile profligentur. Et quidem de plerisque illorum, qui ita cenſuerunt; l) *qui tot ſaeculis & ingeniis aſſertam atque defenſam providentiam calumniati ſunt*, liceat adhibere verba LACTANTII: *Quid ergo, utrumne iſtos minutos & inertes philo-*

k) JUST. LIPS. L. mox cit.

l) L. de Ira Dei, c. 9.

philoſophos ratione, an vero auctoritate praeſtantium virorum refellemus? an potius utroque?

§. II.

Providentia Divina rerum etiam individua ſingillatim & immediate complectitur.

Provida Numinis cura mundum hunc univerſum gubernari, & ad ſuum cuncta finem ſapientiſſime diſponi, num ignorare poteſt, qui, quanta ſit rerum omnium inter ſe apta cohaeſio, quanta ſingularum mutua neceſſitudo, intelligit? Non enim Deus tantam operum ſuorum multitudinem & varietatem elaboravit, ut ſolum, qualia eſſent, aut quam praeclare inter ſe jungerentur, appareret: ſed ut, cum alterum ſine altero vigere non poſſet, totum opus conſiſteret ac firmaretur. Ipſa etiam tot adverſantium rerum lucta, & velut inveteratum bellum ſine certa hujus univerſi ſtrage perdurare non poſſet, niſi optimi gubernatoris ingenio ac promptiſſima voluntate tota compages regeretur. Verum hanc quaſi univerſalem providentiam in Parte prima ſatis exhibitam fuiſſe, confido. Quae quidem ibidem allata non ſolum providentiam eſſe aliquam, eamque divinam, generatim efficiunt; ſed illam quoque per omnia fuſam, & ſingillatim ad res quasvis, tam infimas, quam ſummas ac praeſtantiſſimas pertinere, facile demonſtrant.

Nihil-

Nihilominus juvat in hac benefica providentiae luce, quae cuncta pervadit, & fovet, uberiores adhuc radios partim grato animo intueri, partim a cavillis impugnantium vindicare. Igitur quid esse causae dicemus, cur Deus rerum etiam singularum atque minimarum curam non habeat? *Hae enim tres*, inquit m) NEMESIUS, *solae possunt afferri causae, cur res singulae Dei providentia non regantur: aut enim Deum ignorare, rectum esse, ut illorum etiam curam gerat, aut nolle, aut non posse. Verum ignorantia quidem & insciția prorsus a beata illa natura est alienissima. Est enim ipsamet cognitio & sapientia. Quisnam vero homo sapiens nescire hoc potest, si singularia omnia pereant, etiam universalia peritura? Nam ex omnibus rebus singulis universalia constituuntur.* Sed an nolle Deum id curae in se suscipere quis dicat? Verum id duabus de causis oriri possit: aut ob ignaviam, aut quod illi res etiam minimas curare indignum sit. Ecquis autem ita insaniat, ut Deum ignaviae ausit accusare? Haec enim denuo vel ex voluptate, id est, delicato fastidio, vel ex timiditate nascerętur. n) *Aut enim voluptate aliqua illecti ignavi sumus, aut metu aliquo ab agendo removemur: quorum neutrum de Deo suspicari fas est.*

Indi-

m) L. de Anim. Facult. c. 44.

n) Ibidem.

Indignum vero esse hoc genus providentiae dices; nec decere, ut ad ima viliaque majestas se tanta demittat *? Enimvero quodsi nec indignum erat, illa, cum non essent, procreare, cur iisdem providere non deceat? An vero superbiam Deo tribui patiemur; ob quam ille singularum rerum curam despiciat? Ita certe inferendum fore docet NEMESIUS saepe laudatus. o) *Ut quid autem fecit, si non ad illum pertinet, quod fecit?* praesertim cum Deus p) *ita sit artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parva non granditate, quae nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt.* Sed an Deo vim & potentiam rerum singularum administrationi parem denegabimus? q) *Qui potest*

* *Immerito igitur* Auctor *Libri de Mundo, qui* Aristotelis *esse dicitur, judicavit indignum esse Deo, ad res imas suae providentiae curam demittere: quemadmodum, ut ibi loquitur, e dignitate Regis Persarum minime foret, privatorum hominum commerciis, aut ludicris puerorum exercitationibus interesse. Meliorem certe hic quidem de divinitate, rebus etiam infimis praesente ac attenta, sensum habuit* Heraclitus, *qui casam aliquando ingressus, & ad focum sedens, cum e limine aliqui dictitarent, minime convenire tanto viro tuguriolum,* Intrate, *inquiebat,* sunt hic etiam Dii.

o) AMBROS. Comment. in I. Cor.

p) AUGUSTIN. L. II. de Civ. Dei, c. 22.

q) PLATO, L. 10. de Legibus.

teſt omnia, quorum potentia ineſt in mortalibus & immortalibus?

Neque tamen propterea, cur Deus quadam ſordidarum viliumque rerum quaſi contrectatione inquinetur, metuendum eſt. Nam quisquis ita ſentis, ſolem aſpice, quotidie dum luſtrat orbem; non Regum modo Palatia & beatas domos, & hortos amoeniſſimos, & jucundam aſpectu pratorum viriditatem, & variam omnis generis florum ſegetem: verum etiam humiles & ſtramineas tabernas, incultas vaſtasque regiones, dumeta ſpinis horrida, loca ſenta ſitu, coenoſas lacunas, putrida cadavera, teterrimasque cloacas puriſſima luce perfundit, figitque coruscantibus radiis. Age vero, quas inde ſordes, quas tenebras, quam labeculam aut ſquallorem uspiam contraxit? Neque poterit ſempiterna lux & origo ſolis, quidquid eſt tetrum, vile, impurum ac ſordidum, vitii omnis expers & incontaminata ſpectare, ac provido ſtudio complecti?

Atque hinc merito *divinae iſtud proprium ac praecipuum eſſe naturae*, ait r) CYRILLUS ALEXANDR., *quod poſſit omnia continere, & ad viliſſima quaeque providentiae ſuae, qua ſingula complectitur, rationes explicare.* Certe non minorem in Deo rerum curam adſtruemus, quam quae ſedulum quemque ac providum patrem familias, aut medicum in curandis

r) L. Theſ. 32.

randis aegris, aut gubernatorem navis aliumve artificem exercet; qui minima quaeque ſollicito ſtudio attendunt, moderantur, & curant.

Quodſi praeterea s) *Creatorem non in coelo tantum miramur & terra, ſole, oceano, elephantis, camelis, bubus, pardis, urſis, leonibus: ſed & in minutis quoque animalibus, formica, culice, muſcis, vermiculis, aliisque hujusmodi plurimis, quorum magis ſcimus corpora, quam nomina, eandemque in cunctis veneramur ſolertiam:* gubernatrice quoque cura res easdem & ſingulas a Deo foveri ac regi neceſſario concludimus. Etenim, ut ex t) AMMONIO Ariſtotelis interprete conſtat, res iſtae, quoniam fluxae ſunt, & viciſſitudini magis obnoxiae, majori cura indigent, quam quae rata & ſtabili lege firmantur. *Quae generantur, quia fluxa conſtant materia, & ob id mutationibus ſubjiciuntur, neque eſſe, neque contineri, neque ordinari poſſunt, niſi a conditrice ac providente cauſa ſempiternorum, & eodem modo ſemper habentium illis abunde proſpiciatur; cauſa inquam, non generali modo & a rebus particularibus ſemota, ſed quadam etiam ſingulari, & magis propinqua: quemadmodum in hominum genere cernimus, pueros majore opus habere cura, quam viros; & ſtolidos, quam prudentes.*

An

s) HIERONYM. Epiſt. 3.

t) L. de Interpret.

An vero Deus ipſe, an per alios providentiae adminiſtros iſta omnia regit & curat? Equidem ſi more hominum, quibus & ſapientia, & poteſtas, & reliqua res gerendi ratio limitata eſt, cuncta diſponi & adminiſtrari fingimus, non inepte judicamus. Aſt quam ſtolide divina humanis comparantur? u) *Deus ipſe univerſa ſinu perfectae magnitudinis & poteſtatis includit, intentus ſemper operi ſuo, vadens per omnia, movens cuncta, vivificans univerſa.*

Etenim cum perfectiſſimum Deo dominium in res omnes & ſingulas neceſſario competat, fieri non poteſt, ut non iisdem provida ipſius Dei manus applicetur. Nam quae ſingillatim cujusque conſilio & opere tractantur, ea magis in noſtra ſunt poteſtate, quam quae ſolum univerſim attingimus. Igitur x) *neceſſe eſt, eundem & procreatorem eſſe rerum omnium, & iis providentem. Non enim conſentaneum eſt, nec decet alium efficere, alium eorum, quae ſunt effecta, curam gerere.*

Eſt etiam illud magnopere conſiderandum, quod Dei providentia, quam dari evidentiſſima ratio demonſtrat, nonniſi numeris omnibus abſolutam & vere divinam eſſe oporteat: niſi enim hoc eſſe dicas, divinum aliquid in Deo negaſti: a quo autem niſi a Deo ipſo & ſolo iſtiusmodi officium poſſe divi-

u) TERTULLIAN. L. de Trinit. c. 2.

x) NEMES. L. de Nat. Hom. c. 43.

divinius exerceri arbitraris? Aut quis ſuo providendi munere infinitam divinorum conſiliorum abyſſum ſcrutari poſſit aut aſſequi? Quodſi providentiam rerum inter plures partitam eſſe ſomniaveris; quid perturbatiſſimam divini operis commixtionem fato ipſo deteriorem aſſumis? Sed haec abeſſe affirmas: Deum enim ſimul ubique vigilem & attentum eſſe concedis forte ſicut aurigam equis. Id vero ſupereſt unum, quod dicas: quid autem hic aliud, ſi divinitati paulo convenientius id explices, a te aſſeritur, quam Dei providentiam ad omnia & ſingula per ſe ipſam pertingere?

Ita eſt ſane, regit Deus univerſum, quod effecit; atque ita regit, ut ſingulis provida cura proſpiciat. Quidquid igitur ſive in terris, ſive in coelo, ſive in mari, aut ullibi geritur, Dei providentia eſt. Huic parent ſol, luna, ſidera, elementa, & quidquid praeter hominem terra complectitur. Hujus ſolius nutu omnia conſiſtunt, mutantur, ortum capiunt & interitum. Et haec quidem parent non invita ſupremae illi ac ſapientiſſimae voluntati: nobiliſſimum rerum homo ſolus in conditorem ſuum calces jacit, & reſiſtit! atque is quidem, in quem prae aliis rebus omnibus inexhauſta benigni Numinis providentia pleno alveo ſe diffudit!

§. III.

Providentia Dei circa Hominem ſpecialis.

Singularem erga homines providentiam ex eo praeprimis infert y) LACTANTIUS, quod illius gratia Deus mundum hunc univerſum adornavit. Mundus utique non propter ſe ipſum eſt factus: neque enim aut calore ſolis, aut lumine, aut aſpiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum (cum ſenſu careat) indiget. Sed ne illud quidem dici poteſt; quod Deus propter ſe ipſum fecerit mundum: poteſt enim eſſe ſine mundo, ſicut antea fuit: & iis omnibus, quae in eo ſunt, & generantur, Deus neque eget, neque utitur: Sicut autem z) *fides & tibias eorum cauſa factas eſſe dicendum eſt, qui illis uti poſſunt, ſic ea*, quae in hoc mundo intuemur, *ſolis iis confitendum eſt eſſe parata, qui utuntur*. Apparet ergo animantium cauſa mundum eſſe conſtructum: quoniam rebus iis, quibus conſtat, animantes fruuntur: quae ut vivere, ac vigere poſſint, omnia his neceſſaria certis temporibus ſubminiſtrantur. Caeteras vero animantes hominis cauſa eſſe procreatas ex eo manifeſtum eſſe debet, quod homini ſerviunt, ejusque tutelae ac uſibus ceſſerunt. a) *Ut igitur Athenas & Lacedaemonem Athenienſium Lacedaemoniorumque cau-*

y) L. 7. Divin. Inſtit. c. 4.
z) CICERO, L. 2. de Nat. Deor. a) Ibidem.

cauſa putandum eſt conditas eſſe, omniaque, quae ſunt in his urbibus, eorum populorum recte eſſe dicuntur: ſic quaecunque ſunt in mundo, quorum quis cauſa dixerit effecta eſſe? *eorum ſcilicet animantium, quae ratione utuntur, id eſt, hominum.* Profecto ſunt in nobis plurima, quae illud SENECAE noſtris in frontibus a natura ſcriptum eſſe teſtantur: b) *Cogitavit nos ante * natura, qnam fecit, nec tam leve opus ſumus, ut illi potuerimns excidere. Vide, quantum nobis permiſerit, quam non in-*

* *Quid* LUCIUS ANNAEUS SENECA *per* naturam *intellexerit, patet ex ejusdem* L. ff. de Beneficiis, c. 7. *Ubi contra divinae providentiae obtrectatores & ingratos ita inſurgit: Natura, inquit* alius, *haec mihi praeſtat. Non intelligis, te, cum hoc dicis mutare nomen Deo? Quid enim aliud eſt natura, quam Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta? Et* cap. ſeq. *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat: opus ſuum ipſe implet. Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, ſed naturae: quia nec natura ſine Deo eſt, nec Deus ſine natura: ſed idem eſt utrumque, nec diſtat. Officium ſiquod a* Seneca *accepiſſes,* Annaeo *te diceres debere vel* Lucio; *non creditorem mutares, ſed nomen: quoniam ſive praenomen ejus, ſive nomen dixiſſes, ſive cognomen, idem tamen ille eſſet. Sic hunc naturam vocas, fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei nomina ſunt, varie utentis ſua poteſtate.*

b) L. 6, de Benefic, c, 23.

tra homines humani imperii conditio ſit; ſcias igitur non eſſe hominem tumultuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum ſuarum nihil habet, quo magis glorietur. Quantus iſte furor eſt, controverſiam Diis muneris ſui facere? ac de inſigni erga hominem providentia dubium injicere? Id ipſum eleganter expreſſit AMBROSIUS, de homine ita loquens: c) *Noviſſimus omnium creatur homo, quaſi totius ſumma operis, quaſi cauſa mundi, propter quem facta ſunt omnia, quaſi omnium habitator elementorum inter feras vivit, cum piſcibus natat, ſulcat mare, aëre paſcitur, cultor ſoli, victor profundi, piſcator in fluctibus, in aëre auceps;* & quod ſileri penitus non debet, *in coelo haeres &c.*

Multa hic praetereunda ſunt: non enim enumerari omnia poſſunt. d) *Nam unde haec innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? Neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris a Deo proviſum eſt: usque in delicias amamus. Tot arbuſta, non uno modo frugifera, tot herbae ſalutares, tot varietates ciborum, per totum annum digeſtae; ut inerti quoque fortuita terrae alimenta praeberent. Quid medicatorum torrentium venae? Quid in ipſis litoribus aquarum calentium exundatio? Tot virtutes accepimus, tot artes, tantum denique*

c) Epiſt. 38. ad Horontian.

d) SENECA, L. 4. de Benef. c. 5. & L. 2. c. 29.

que frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias acervatarum.

Et cui mens adeo caligine obducta eſſe poſſit, ut ejusmodi plurima non videat? Quis non omni undique ratione concludat, mente conſilioque divino omnia in hoc mundo ad hominum praecipue ſalutem, commoda, uſum conſervationemque admirabiliter adminiſtrari? e) *Ita eſt: chariſſimos nos habuerunt Dii immortales, habentque: & qui maximus tribui honos potuit, ab ipſis proximos collocaverunt.*

Quod vero etiam mentem hominis ita inſtruxerit Deus, & exornarit; ut & praeterita recordari, & praeſentia tenere, & futura proſpicere poſſit: an id exiguum divinae providentiae beneficium videtur? Haec autem in homine cogitandi vis nonne prope incredibilis eſt? *Sic* f) *enim & cauſas rerum videt, earumque progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus praeſentibus adjungit, atque connectit futuras.* Hinc & mala, quae ſunt, aut imminent, cavendi; quae bona, curandi, quae denique meliora, eligendi facultate perficitur. Nec id ſolum, ſed etiam ad mutua inter alios commoda eximius iſte animi noſtri vigor dexteritasque refertur: dum vel aliorum nocitura conſilia repellimus; vel iis ſana & profutura ſuppeditamus. Ne tamen noſtro

e) Ibidem.

f) CICERO, L, I, de Offic. c, 4.

aliorumvè damno potius, quam commodis ac ſaluti mira mentis noſtrae acies intenderetur; ineluctabilem nobis Deus recti bonique notitiam, & ſtata honeſtatis incitamenta inſeruit: eaque tam firma eſſe voluit, ut nec ſcelerum multitudine ac gravitate penitus extinqui queant; ſed in ipſa etiam turpitudinis diuturnitate, velut latentes ſub cineribus favillae perdurent; & non raro ſentiantur.

Quodſi demum immortalis vitae, quam Deus animabus noſtris naturalem eſſe ſtatuit, praerogativa conſideretur, quanta in hoc divinae providentiae monimenta & ab initio eſſe poſita, & in nobis perfici augerique intuemur? Cum enim immortalitas quandam cum divinitate ſimilitudinem exhibeat; dubitari non poteſt, eo ampliora in nos providentiae beneficia profluere, quanto prae caeteris rebus ad divinam quodammodo naturam accedimus. Inde fortaſſis delirae olim nonnullorum opiniones enatae ſunt: dum alii, praeſertim Pythagoras, quidam Platonici & cum his Origenes animam humanam de coelo lapſam, alii cum Stoicis, Manichaeis, & Priſcillianis eam ex propria Dei ſubſtantia deciſam eſſe ſuſpicabantur. Sed omiſſis horum erroribus, illud nobis inprimis indubitatum relinquitur, animam noſtram non hujus vitae limitibus eſſe circumſcriptam. Id enim praeter argumentorum momenta, quae

tum

tum g) SENECA & h) CICERO, tum i) LACTANTIUS & k) AUGUSTINUS aliique innumeri ex naturae promptuario desumunt, ista in hominum animis inscripta sententia mirifice persuadet: *Recte factis praemia, peccatis supplicia deberi.* Nam ut recte ait l) CHRYSOSTOMUS: *Si nihil est post hanc vitam, ne Deus quidem est: sin Deus est, justus est: quodsi justus sit, pro dignitate tribuet unicuique: si nihil post hanc vitam sit, quomodo, quod par est, recipiet unusquisque?* Sic est omnino: m) *Nec enim temere, nec fortuito sati & creati sumus; sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.* Sed si animae non hujus tantum, sed & futurae vitae tempora sint destinata; cur haec postea demum finienda esse dicamus? Quid enim ea limitari exigeret? Aut cur omnium actatum omniumque fere hominum de immortali vita consensio non verissima esse judicetur? Illud vero quam insigni providentiae consilio factum esse ac stabilitum novimus, ut tantum in nobis, vitae illius desiderium, aut digna saltem attentio excitaretur? Hujus enim vitae nisi vel exspectatio, vel metus animis hominum insideret; quae tunc vige-

g) Epist. 118. h) L. 1. Quaest. Tusc. c. 15.
i) L. 7. Div. Instit. c. 8. k) L. de Trinit. c. 7. & alibi.
l) Orat. 4. de Provident. m) CICERO s. c. c. 29.

ret morum honeſtas? quae juſtitia? quae religio? quae alia virtus? In quibus humanae ſocietatis, & praeſentium aeque ac futurarum rerum ordo ſalusque verſantur. Nonne, ſicut de ſuis olim SENECA querebatur: n) *Virtus & philoſophia* (ſapientiae ac honeſtatis ſtudium) *& juſtitia, verborum inanium crepitus eſſet? Una felicitas bonae vitae foret facere omnia libere.*

Quid enim obſtaret, quominus prope omnium ore ac factis probaretur illud improbiſſimae vitae inſtitutum, quod in eorum praecipue moribus expreſſum legimus; quorum omnis ſentiendi ratio ad hujus duntaxat vitae ſpatium uſuramque depreſſa eſt? o) *Venite*, inquiunt hi, *& fruamur bonis, quae ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus; & non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant? Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra? Nemo noſtrum exors ſit luxuriae noſtrae. Ubique relinquamus ſigna laetitiae; quoniam haec eſt pax noſtra & ſors. Opprimamus pauperem juſtum, & non pareamus viduae; nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra, id eſt, menſura virium lex juſtitiae. Quod enim infirmum eſt, inutile invenitur. Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operi-*

bus

n) Epiſt. 124. o) Sap. c. 2. v. 6. & ſeq.

bus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinae noſtrae. Nam eo ferri animum noſtrum quaſi certiſſimo contingit, quo illum turba affectuum inclinat; niſi velut inter undas maris conſtituti fixo ante nos ſidere dirigamur. Ubi ergo nulla immortalis vitae haberetur praeſenſio, ſpes nulla, nullusve terror, quorſum niſi ad effraenatam, totique generi humano perniciosiſſimam licentiam turbulentiſſimorum pondus affectuum praecipitaretur?

Ut igitur quam eximia noſtris animis inſit natura, intelligeremus, uberrima nobis argumenta Dei providentia ſuppeditavit. Atque ut immortalis vitae, quam evitare non poſſumus, aliquando nobis jucunda, & pleniſſimae felicitatis poſſeſſio fieret, quantum Deus non modo vitæ illius appetitum nobis indidit, ſed etiam quam certa eandem obtinendi media deſtinavit? Hinc merito p) Augustinus: *Nullum arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non ſaltem animis noſtris divina providentia conſuli exiſtimet.* Non hic ſacra fidei noſtrae adyta intrabimus, altiſſimum inde beatitudinis noſtrae myſterium ſpeculaturi. Deus eſt: quid multis? Solus ille deſideriorum noſtrorum meta eſt: in ſolo ipſo veram hominis beatitudinem gentilium etiam ſapientiorum turba collocavit. Ad hunc etiam inviti ob votorum noſtrorum

p) L. 1. de Mor. Eccl. c. 6.

immenſitatem rapimur: dum in id, quod eſt optimum, quodque animae noſtrae appetitum exſatiare poteſt, naturali & perpetuo velut igne ſuccendimur. Finis noſter Deus eſt: & ipſe ſolus eſſe poteſt, ſive naturali, ſive ſublimiori ratione a nobis aliquando poſſidendus. Quid igitur excellentius circa hominem excogitare providentia Dei potuit, quid benignius largiri, quid ordinare ſapientius, quam quae illius tum corpori, tum praeprimis animo ſubminiſtravit?

Aſt quid agimus mortales! Providentiam erga nos tantam experimur: & illam fugere aut declinare ſaepius conamur. Illa nobis & ubique proſpicit, & bonorum quaſi agmina ſuppeditat. Nobis iſta non placent; alia perſaepe cupimus. Vehimur ſive in tranquillo, ſive turbido mari gubernatrice providentia. Haec nobis anchora, remi, vela, portus. Si vela ventis dediſſemus, ſequemur, non quo voluntas impelleret, ſed quo illi: & in hoc vitae oceano ſpiritum illum ſequi recuſamus temperatorem univerſi? Et recuſamus tamen fruſtra: quia aut ſequemur aut trahemur. Rideamus, ſi is qui cimbam ad rupem alligavit, funem identidem trahat, & rupem ad ſe accedere velit; cum ipſe ad illam: q) *Et non major noſtra ſtultitia eſt, qui ad rupem illam aeternae providentiae nexi trahendo & reluctando volumus eam nobis obſequi, non nos ipſi?*

q) JUSTUS LIPSIUS, L. 1. de Conſt. c. 14. §. 4.

§. IV.

Providentia Divina cum hominis libertate conciliatur.

Ciceronis hic naufragium video, ait r) JUST. LIPSIUS, *qui providentiam circa res homini liberas maluit tollere, quam delibare aliquid de humana libertate.* Ita dum homines * fecit liberos, eodem impulsu fecit sacrilegos. *Quam multi etiam hodie natant in hoc freto, & disputationum hic fluctibus abripiuntur?* Sed paucis rem agemus. Equi-

* *Quid est ergo, quod Cicero timuit in praescientia futurorum? Videlicet, quia si praescita sunt omnia futura, hoc ordine veniunt, quo ventura esse praescita sunt; & si hoc ordine venient, certus est ordo rerum praescienti Deo; & si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum: non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens causa praecesserit: si autem certus est ordo causarum, quo fit omne, quod fit; fato, inquit, fiunt omnia, quae fiunt. Quodsi ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis.* Et paulo inferius: *Atque in has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse praescientiam futurorum; quorum utrumque arbitratur esse non posse; sed si alterum confirmatur, alterum tolli: si elegerimus praescientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium, tolli praescientiam futurorum &c.* AUGUSTIN. L. 1. de Civ. Dei c. 9.

r) L. 2, c. 21.

Equidem multa eorum, quibus ad fines ſuos providentia utitur, ab hominum pendent libertate: num vero Deus aut neceſſitatem inferat homini? aut, quae ab aeterno conſtituit, exequi aliter non valeat? Deus enim omnia, quae, ut aliquando fierent, ſummo conſilio deſtinavit, ea tum ſapientia tum bonitate inter ſe miſcet, ac ordinat; ut, ſive cauſas ſive rerum effectus intuearis, juxta cujusque naturam tota ſeries ſit inſtituta. Arbores & fruges voluit creſcere: creſcunt ſine ulla vi per naturam; homines deliberare ac eligere: deliberant & eligunt ſine ulla vi aut neceſſitate. s) *Sic adminiſtrat omnia, quae creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.* Manet nihilominus immotus ille rerum ordo, quem aeterna mente Providentia concepit; &, ſalva hominis libertate, ad conſequentium temporum ſpatia explicabit.

Ut enim in navi ambulare mihi fas eſt, per foros diſcurrere aut tranſtra; quin propterea illius curſus impediatur; ſic in hac providentiae quaſi quadam navi, currant licet voluntates noſtrae, ac libere diſcurrant, non via illam ejiciemus, aut retardabimus. Temperabit omnia & clavum moderabitur ſuprema illa voluntas. Haec quocunque viſum erit, res omnes diriget; ac ſapientiſſimorum conſiliorum quaſi fraeno inclinabit.

Scivit

s) AUGUST. L. 7. de Civ. c. 30.

Scivit Deus, Romanorum ignibus arſuram eſſe Carthaginem: quid? annon illi neceſſario flammam injicient? Novit, barbarorum inſultibus vaſtatum iri Romam: nonne horum quoque furor neceſſario graſſabitur? Sed vidit illos Deus talia facturos; non eos coëgit. t) *Nam ſi video jacentem, neceſſitas non infertur a viſione mea, ne jaceat: ſed potius a jacente mihi infertur neceſſitas, ut videam. Quid poſtulas, ut neceſſaria fiant, quae divino lumine illuſtrantur; cum nec homines quidem neceſſaria faciant ea, quae vident?* Vidit igitur illa Deus; & plurima etiam, ut ab hominibus fierent, aeterno conſilio determinavit: ſed non niſi poſtquam ea libere futura cognovit. Prava item hominum conſilia & facta praeſenſit: & illa quidem, dum non impedire decrevit, ad ſapientiſſimos providentiae fines, illaeſa hominum libertate, ordinavit. Quis infinitum illud ſapientiae ac plenum conſiliorum mare ita eſſe arctatum ſuſpicabitur, ut iſta non poſſit? aut quis ejus providendi rationem adeo tumultuariam eſſe cenſebit, ut iſta non velit? Demum ſcientiam Dei pauliſper non cogita: putasne hominem libertatis expertem eſſe; atque illud audes inficiari, cujus te apertiſſima ratio convincit? Tune ſic omnia fieri exiſtimas, ut eadem non aliter, quam eveniant, accidere potuiſſe opineris? Unde tu iſtam

t) BOËTIUS, L. 5. de Conſol. Phil.

istam rerum naturam derivabis? Quid illud esse dices, quod hanc necessitatem intulerit? Ad Dei nunc scientiam revertere: ab illane tum rerum naturas immutari aut everti putas, cujus est praescribere, quomodo illae pro cujuscunque indole conserventur? u) *Sicut igitur series rerum Dei providentiam non immutat, sic & aeterna dispositio rerum naturam non perimit.*

§. V.

Reliquae Adversariorum Reflexiones.

DIALOGUS.

ANTINOUS. PRONOEUS.

Antin. Satisne jam Pronoee! de illa Dei scientia disputasti, quam praescientiam dicimus? visne ut coeptum hodie sermonem resumamus?

Pron. Affatim; de hac satis: qui enim sentire cum Tullio, aut simili quadam ratione desipere statuerunt, eos, ne si plura quidem audiverint, ab errandi voluptate revocabis. Desipiant illi ergo: nos, ut monuisti, ad colloquendum redeamus. Sed an tu forsan in scirpo nodum quaeres, & Dei praescientiam providentiae inimicam esse arguetabere?

An-

u) Joan. Saresberiens. L. 2. Policrat. c. 20.

ANTIN. Non hic dubium mihi aliquod ſupereſſe arbitror: nam ſatis commoda uſus es ratione, quam negare non auſim: ſed quaedam alia ſunt, quibus, diſputante te, quid contradicerem, mecum ipſe meditabar: neque tam refellendi tui cauſa, quam ea, quae minus intelligebam, requirendi. Mittamus igitur pauliſper hodie inchoatum ſermonem, & prius ad alia minora divertamus.

PRON. Prope eſt, ut quae afferre poſſis, intelligam: nimirum quod minima & ſingula curet Deus, id primum quidem, ſed inane commentum eſſe judicas.

ANTIN. Non rem penitus attigiſti Pronoee! Non enim ita obſtinatae ſum mentis, ut quae a te ſatis probata eſſe reperi, non ego pariter certa eſſe pronuntiem. Venit etiam mihi ſaepius in mentem illud x) *Lactantii*: videlicet neminem eſſe tam rudem aut impium, qui, ſi ad interiores animi ſui motus attendere velit, negare queat, unum eſſe Deum, *qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur.* Atque y) ut *Nemeſius* obſervat, *res ſingulas regi providentia, magno eſt argumento, quod naturaliter ejus notitia hominibus ſit inſita. Nam neceſſitate aliqua compulſi, ſtatim ad Numen divinum & preces confugimus, velut natura ad Dei opem perducente:* de quo argumento Ne-

x) L. 1. Div. Inſtit. c. 3.
y) L. de Nat. Hom. c. 44.

Nemesii tu superius alio in loco disputasti. Ejusdem igitur tecum judicii sum ego: sed quid a) *Hieronymus* eximiae vir auctoritatis hac de re senserit illud mihi velim exponas. Haec enim habet: *Absurdum est, ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: quae cimicum, pulicum & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent &c. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injurioši simus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam esse dicentes.*

Pron. Annon ex ipso verborum apparatu satis exploratum habes, qualis Hieronymo mens fuerit, dum illa, quae attulisti, scriberet? Nam cum unius quidem sit providentia, de qua differimus, Dei videlicet, qui gremio sapientiae, bonitatis ac virtutis universa complectitur: ast non una est providentiae ratio: pronior illa, quae in hominem tendit, pluribusque sociata beneficiis, quam quae rerum mente carentium emolumenta procurat. Igitur diversam Doctor ille providentiam asseruit, non eam penitus circa res singulas & minutas exclusit.

Antin. Sed cur ista citatis verbis in fronte praefixit Hieronymus? *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit pro-*

a) Comment. in C. 1. Habacuc.

providentia: ſic in caeteris animalibus generalem quidem diſpoſitionem & ordinem curſumque rerum intelligere poſſumus. Numquid ſpecialem ex his circa ſingula quaevis providentiam exſculpes?

PRON. Neſcis, quid b) vir ille doctiſſimus de ſe meminerit: nimirum *ſe in commentariis ſuper Prophetas quaedam non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia expoſuiſſe?* Iſtam ergo, quam objicis opinionem, non Hieronymi, ſed aliorum fuiſſe, tum verba, quae tu ipſe attuliſti, prioribus ſubjuncta, tum ejus alibi expreſſa ſententia perſuadent. Nam vide, quid in illa Domini verba: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt?* ipſe commentetur? Sic enim ait c) *Si parva animalia absque Deo authore non decidunt, & in omnibus ſemper eſt providentia, & quae in his peritura ſunt, ſine Dei voluntate non pereunt; vos, qui aeterni eſtis, non timere debetis, quod absque Dei vivatis providentia.*

ANTIN. Ea profecto mihi dicis, ex quibus & tanti viri mentem abunde perſpiciam, & noſtram pariter de providentia ſententiam non leviter confirmatam eſſe intelligam. Sed quid de illa opinione cenſendum eſt, quae jam inter veteres olim percrebuerat:

b) L. 1. contra Rufin.
c) In Matth. c. 10. v. 29.

rat: *Melius esse quaedam nescire, quam scire ut vilia?* Si enim melius id est, quis in Deo dari negabit? ubi autem nulla est, harum rerum scientia, nullam quoque circa illas existere providentiam necesse est.

Pron. Nempe ad illorum philosophorum sensa hoc pertinet, qui divina humanis saepe nimium propinqua esse judicarunt. Nam d) *licet nobis melius sit non cognoscere mala & vilia, in quantum per ea impedimur a consideratione aliquorum meliorum, non tamen Deo, qui simul omnia uno intuitu videt: & qui, ut inquit Dionysius* (Areopagita), *non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum unam causae continentiam omnia scit.* Praeterea quid est adeo vile ac parvum, in quo non aliquid illustre magnumque resplendeat? Etenim e) *creat Deus minima corpore, acuta sensu animantia, ut majore attentione stupeamus agilitatem muscae volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicae, quam onera camelorum.* Hosne tu Antinoe! philosophos esse acutos existimas, cum ista non videant? Cur ergo potius ista procreando, f) *magnus sit Deus in magnis, nec parvus in minimis*, quam haec cognoscendo, iisdemque providendo?

An-

d) Thom. Aquin. Quaest. 5. de Verit. a. 3.
e) AUGUSTINUS, L. 3. de Genes. ad liter. c. 6.
f) Idem, Serm. 119. de Tempore.

ANTIN. Capio Pronoee! nugae ſunt iſtae, bullis ſimiles, quas ventus implevit: vix eas contrectaſti, & evanuere. Sic ſaepe vanis in animo ludimur opinionibus; quas vel noſtri tumor ingenii, vel improborum aut male prudentum ſibili excitarunt. Sed ad graviora veniamus: quae, ut fatear, me non parum exagitant. Quo enim magis ea diſſoluta cuperem, eo validius dubitantem ligant animum. In libros denuo *Ciceronis* incidi; poſtquam de providentia diſputantem te audiveram: & certe uncum ille in animum meum injecit, quem eripere ſine te non valeo. Sic autem habe: Cur, ſi providentia mundus & praeſertim homo regitur; tanta in mortalibus reperiuntur ſcelera? tanta in varia flagitiorum genera impetus? tanta virium honeſtarum in animo imbecillitas? Quod enim mala, ut vocamus, *phyſica* non impediat, imo adornet Deus; id equidem quam bene ac ſapienter fiat, non ex una ratione perſpexi: quod vero etiam tanta morum & honeſtatis ubique ſtrages deploretur: dic, quaeſo, quid hic agit providentia? cur iſta non tollit? cur valida his malis remedia non ſuppeditat? Alias quidem de providentia querelas *Cicero* movet; ſed dum eas perlegere incipe-rem, iſtae novae mihi ſubortae ſunt.

PRON. Varia hic miſces Antinoe! Hominum inprimis improbitatem & ſcelera com-

commemoras; & ea ſublata eſſe cuperes. Praeclara optio! ſed quod ex iis providentiam inſimules, vide, quam ſtolide hic agas? ſi enim flagitia & quidquid in mundo male geritur, penitus impediri debere opinaris; quid hic aliud mente ſtatuis, quam quod hominum libertatem opprimendam eſſe putes? quid? annon una hac opinionis inſania ſimul omnem virtutis laudem, omne praemium, omnem juſtitiae ſive remunerantis ſive punientis materiam ſuſtuliſti? Ergone Deus tot bonorum, quae libertati annexa ſunt, uſum praecludere debuiſſet, ut peccata eſſe non ſineret? ſi nulla, quibus illa vitari poſſent, media ordinaſſet, ſi nulla incitamenta virtutum, nulla denique improbis ſupplicia ſtatuiſſet; tum forſan aliquid diſputatione dignum afferres: aſt cum haec omnia divinae providentiae conſiliis inventa & uberrtim praeparata eſſe non ignores, quid eſt demum, quod hic circa providentiam reprehendendum putes? Neque ſua etiam ſceleribus bona deſunt, quorum inſigni & admirabili uſu divina providentia clariori adhuc in luce collocatur. *Sicut*, inquit g) Auguſtinus, *mali homines male utuntur creaturis bonis, ſic creator bonus bene utitur hominibus malis. Novit, quid tamen agat, qui creavit totum genus humanum. Aurifex portat, appen-*

g) Serm. 110. de Diverſis.

pendit, aurifex librat. Pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut ſit decora pictura: & Deus neſcit, ubi ponat peccatorem, ut ſit ordinata creatura? Reflecte pauliſper animum ad illa, quae unquam ſcelerate fieri audiviſti: quam multa & elegantia inde bona, nonniſi providis manibus intexta, & ſapientiſſimo quodam ordine evoluta deprehendes? Perquire, ſi potes, omnium temporum nationumque facta: quid hic aliud expreſſum leges, quam ex hominum quantumlibet nefariorum improbitate optimarum rerum eventus perpetuo velut amne fluxiſſe? h) *Maleficae igitur virtutes in mundo divinae providentiae uſui ſunt; nam poſtquam mala ſemel extiterunt, divinae ſapientiae & virtutis & facultatis eſt, non ſolum bonum facere: ſed illud inprimis per mala ipſa, quae ab nonnullis excogitata fuerint, bonum aliquem & commodum finem efficere, & ad utilitatem ea, quae videntur mala, referre.* Vides de nocte pulchrius radiare ſtellas: virtutes cogita; quae inter ſceleratorum quaſi tenebras amoenius lumen effundunt. Ita nimirum cuncta pulcherrimo concentu, ordine ac fine divina providentia temperavit.

Hic tu Antinöe! quid ad alia, quae attuliſti, reſpondeam, cupida mente attendis. Et tu quidem virium, per quas reſiſtere malo debeamus, imbecillitatem adducis? Aſt cave,

h) SYNESIUS, Ep. 5.

ne forſan illis annumerere, qui harum querelarum laciniis vitae ſuae turpitudini velum aliquod conficere laborant. Cur enim innumera illa taces auxilia, quibus humana vita & bene agendi facultas ſuſtentatur? ſi ad Fidei noſtrae myſteria unico ſolum ictu reſpicere tibi luberet, quam multa & mira huic rei noſtrae opportuna cerneres? Verum altiora ſunt iſta & a propoſito noſtra aliena. Illud compertum habere debes, nihil a te unquam factum eſſe mali, cujus omittendi, aut agendi aliud poteſtate caruiſſes.

Demum pronam in ſcelera facilitatem & quaſi naturae ipſius ſtimulos in homine carpis. Ecquid autem hic mali, aut quod providentiam obſcuret, invenies? Hominis in vitia propenſionem male permiſſam eſſe contendis? Aſt, nonne mens tibi ratione aliisque mediis inſtructa? cujus imperio naturae impetum moderere. Neque vero mali aliquid tibi natura ſuggeſſit: ſed ea, quae tu mala exiſtimas, tuo ſolum uſu penitus libero mala redduntur. Hinc illa, quae in homine ante uſum libertatis exiſtunt, ejus naturali conditioni adeo ſunt congrua, ut neque finem hominis, neque recte agendi facultatem impediant. Atque inde potius ſingularis providentiae cura deprehenditur, quod hominem in ipſo affectuum ſuorum conflictu, modo ipſe velit, erectum ſervet, victoremque conſtituat.

ANTIN.

ANTIN. Tulisti a me dubium Pronoee! sed non omne. Nam verissimum quidem esse nunc sentio: res etiam optime constitutas, non unis saepe calumniis infestari; sed quoniam, qui calumnias audit, fere semper aliquid in animo tenet; hinc, quod imprudentius forsan hausi, tuis porro rationibus absterge. Nunc igitur, quod matutino colloquio instituimus, prosequamur; Bonis mala eveniunt, malis bona. *Dies deficiat*, ait i) Cicero, *si velim numerare, quibus bonis male evenerit; nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. Cur enim Marius, homo pessimus, tam feliciter septimum consul domi suae senex est mortuus? cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit. Duodequadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimae & beatissimae civitatis: quam multos ante hunc in ipso Graeciae flore Pisistratus? Cur duos Scipiones fortissimos & optimos viros in Hispania Poenus oppressit? Cur Maximus extulit filium Consularem? Cur Marcellum Annibal interemit? Cur Paulum Cannae sustulerunt? Cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? Cur Africanum domestici parietes non texerunt? &c. Quid dicam de Socrate? cujus morti illachrymari soleo Platonem legens, Videsne igitur Deorum judicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum?* Sed vetera sunt ista, & a

i) L. 3. de Nat. Deor.

Cicerone gentilium more dicta: ſi ad ſaniora te referas tempora, & proborum aeque ac ſceleratorum fata plane indigna examines; quid de providentia ſtatuendam putas?

Pron. Duo hic mihi diſputanda offers: alterum, cur malis ſaepius bona eveniant; cum hi ſupplicia mereanter: alterum cur boni ac praemiis digni variis malis obruantur? Atque hic demum providentiae triumphos conſidera. Quid ais Antinöe? tunc improbos ab omni fulminis jactu ſecuros eſſe arbitraris? Alios quidem, inquis, non raro ſuppliciis affici, ſed alios etiam impunitos magna inſuper felicitate florere. Felices tu illos eſſe dicis; quando proſperum in hac vita curſum tenuere? Non id, arbitror, ſerio cenſebis. Audi *Senecam*, qui Deum ita loquentem inducit: k) *Aliis bona falſa circumdedi, & animos inanes velut longo fallacique ſomno luſi: auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil eſt. Iſti, quos pro felicibus aſpicitis. ſi non qua occurrunt, ſed qua latent, videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas: cruſta eſt, & quidem tenuis.*

Sed vehantur illi felicibus ventis: aequabilem teneant ſine ulla offenſione curſum: an vero puniendi tempus intra hujus dunta-

xat

k) L. de Providentia, c. 6.

xat vitae limites definitum esse somnias? Nonne immortalem gerimus animum? Alia utique nobis restant stadia, nullo cursu finienda: non haec igitur vita suppliciorum meta esse debet. Id illi etiam praesentire sibi videntur: dum eos licet invitos futurorum suppliciorum horror invadit. Habet igitur providentia vastissimum tempus, intra quod illa improborum poenas non raro differat, nunquam vero praetereat.

Antin. Antequam Pronoee! bonorum quoque fata evolvere incipias, velim, breviter explices mihi, cur Deus hominum nefariorum supplicia saepius tam sera esse voluerit? Nam caetera, quae afferebas, affatim capio.

Pron. Nefas est, Antinöe! divinae providentiae consilia curiosius indagare. Dicam igitur, quod ratione minime audaci cognoscitur. Voluit nimirum Deus, ut, cum istorum hominum scelera, non autem poenas intueremur, alterius vitae memores & certi animum non ad hujus vitae crepundias, sed ad sublimiora intenderemus. Praeterea cum nemo sit tam ad flagitia projectus, ut nihil unquam honestatis in ipso reperiatur, sapientissime statuit providentia, micas etiam virtutum, cohibendo in hac vita poenas, imo etiam affando felicitatem non sine praemio relinquere. Hos enim homines aeterna sapien-

tia ob eorum improbitatem, & ſcelera merito immortalis vitae felicitate carituros eſſe praeſenſit. De his illud Demetrii apud 1) *Senecam: Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi.* Poſſem hic tibi & alias Dei perfectiones recenſere, quas ipſe interdum prorogatione ſuppliciorum manifeſtat. Verum cur in hoc longius haereamus? non enim iſta nobis diſputanda ſumpſimus.

Antin. Nolim ego te diutius morari: tametſi enim hactenus erudiri a te mihi jucundum fuerit; egoque ut porro id fieri poſſit, exoptem: quia tamen nunc uterque noſtrum ad varia negotia revocamur; hinc, quod ſupereſt, fac, ut breviter expedias.

Pron. Recte mones: tempus eſt, ut ſermonem finiamus: quod certe nunc facerem, niſi altera tua quaeſtio eſſet ejusmodi, ut plurimorum animos ad alterutrum temeritatis ſcopulum allidere ſoleat. Dum enim ſaepius homines eximia etiam vitae integritate commendatos variis ſive fortunae, ſive inimicorum, ſive alterius rationis inſultibus agitari & poſterni videant: aut providentiam a rebus humanis, aut ab iſtis hominibus probitatem abeſſe ſuſpicantur. Aſt ſuas hic providentia partes agit egregie. *Cum*

1) Ibid. c. 3.

m) *Cum videris bonos viros, acceptosque Diis, laborare, ſudare, per arduum aſcendere; malos autem laſcivire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modeſtia delectari, hos vernubarum licentia; illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam.* Quid autem? ſi Deus probos amat ut filios, improbos vero tractat ut mancipia; rectene an male cum providentia erit?

Nimirum hoc iterum tibi Antinoe! iterumque perſuaſum tene, aliam homini & longe praeſtantiorem quam quae in hac vita nos ludit, beatitudinem ſupereſſe. Ad hanc Deus proborum animos parat; dum eos immiſſa malorum quaſi tempeſtate, mediisque in fluctibus comprehenſos tenet, ne felicioribus uſi ventis a portu ad ſyrtes impellantur. n) *Ideo*, inquit Auguſtinus, *Deus felicitatibus terrenis amaritudines miſcet, ut illa quaeratur felicitas, cujus dulcedo non eſt fallax.* Id quoque providentia miro conſilio diſponit: ut, quod inter omnes res optimum eſt, Virtus videlicet, nobiliſſimum illud animi ornamentum, caſibus adverſis quaſi culta & irrigata pulchrius frondeat, uberiusque foecundetur. Unguenta, ſi ea commoveas, redolent latius: aromata ſuum odorem, ſi accendantur, expandunt: ita bonorum virtus duris caſibus agitata multo prae-

m) cap. 1.

n) Apud Gonet §. 7. Diſput. de Providentia.

praeſtantius copioſiusque diffunditur. Hinc illi adeo non ſunt miſeri, quoniam acerba patiuntur, ut felices potius dici & poſſint & debeant. o) *Marcet ſine adverſario virtus: Tunc autem apparet, quanta ſit, quantum valeat, polleatque; cum quid poſſit patientia, oſtendit.* Habent etiam boni, medios inter adverſitatum conflictus, non exigua gaudiorum ſolatia: dum interim ſcelerati morſus animorum ac quaſi taedas illas ardentes furiarum ſentire coguntur. Egregie illud *Seneca* philoſophus eximius commonſtrat, qui Deum ad bonos calamitatibus preſſos ita loquentem deſcribit: p) *Vobis dedi bona certa, manſura: quanto magis verſaveritis, & undique inſpexeritis, meliora majoraque. Permiſi vobis metuenda contemnere, cupiditates faſtidire. Non fulgetis extrinſecus: bona veſtra introrſus obverſa ſunt. Sic mundus exteriora contempſit, ſpectaculo ſui ſaltus. Intus omne poſui bonum: non egere felicitate, felicitas veſtra eſt. Ferte fortiter: hoc eſt, quo Deum antecedatis: ille extra patientiam malorum eſt, vos ſupra patientiam.* Videſne, Antinoë! quanta ubique providentiae laus ſit? Plura diſſererem, niſi abitum parares.

ANTIN. Feciſti, quod optabam: talem enim mihi de providentia mentem injeciſti, quam

o) SENECA, L. de Provid. c. 2.

p) Ibidem, c. 6.

quam nulla deinceps cavillantium ingenia poſſint invertere.

PRON. Sit ergo lux illa aeterna vitae noſtrae moderatrix: ſed & bene ſentiamus de providentia. q) *Nam bene ſentiri de ſe vult Deus, ut bene ſentientibus bene ſit.*

Vale.

q) SIMPLICIUS in Ench. Epicteti c. 38.

(○)

quam nulla geinceps cavillantium ingenia
poterit invertere.

EX LOGICAE PARTE I.

DE IDEIS EARUMQUE SIGNIS.

1. Idea simplex simpliciter dicitur, non plures

POSITIONES SELECTAE

EX

LOGICA

ET

METAPHYSICA.

EX LOGICAE PARTE I.

DE IDEIS EARUMQUE SIGNIS.

1. Idea ſimplex ſemper eſt vera, non item complexa.
2. Ideae univerſalis quinque ſunt ſpecies, videlicet Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.
3. Concreta tam ſubſtantialia, quam accidentalia multiplicantur, multiplicatis ſolis rectis.
4. Affectiones terminorum ſunt Status, Ampliatio, Reſtrictio, Diminutio, Alienatio, Apellatio, Suppoſitio: a quarum una ad aliam a priori omnino diverſam argumentari non licet.
5. Suppoſitio formalis dividitur in ſimplicem & perſonalem, haec in ſingularem & communem.
6. Subjectum in propoſitione univerſali ſupponit vel diſtributive, vel collective; in propoſitione partſculari vel disjunctive, vel disjunctim.
7. Prædicatum commune ptopoſitionis univerſalis affirmativae ſupponit disjunctive, ſaltem in creatis; in propoſitione particulari disjunctive, vel disjunctim.

8. Prae-

8. Praedicatum propositionis negativae supponit distributive.
9. Definitionis ac divisionis leges communes admittimus.

EX PARTE II.

DE JUDICIO ET PROPOSITIONIBUS.

1. Judicium merito dicitur actus intellectus, non voluntatis; estque simplex annutus vel abnutus.
2. Altera propositionum contradictoriarum de futuro contingente libero est jam nunc determinate vera, & altera determinate falsa, etiam praescindendo a decreto aut scientia Dei.
3. Ad veritatem propositionis affirmativae in materia necessaria requiritur, & sufficit identitas subjecti & praedicati quoad rectum.
4. In materia contingenti requiritur insuper existentia subjecti & praedicati.
5. Copulativa propositio ut sit vera, vel necessaria, exigit singula membra vera, vel necessaria.
6. Ad veritatem propositionis disjunctivae sufficit veritas saltem unius membri.

7. Exponibiles vel verae ſunt vel falſae, pro veritate aut falſitate compoſitarum, in quas reſolvuntur.
8. Contradictoriae nec ſimul verae nec ſimul falſae eſſe poſſunt: contrariae ſimul verae, ſubcontrariae ſimul falſae eſſe nequeunt.
9. Propoſitioni copulativae contradicitur per disjunctivam & viciſſim: reliquis propoſitionibus compoſitis contradicitur id praeciſe negando, quod affirmat altera.

EX PARTE III.

DE ARGUMENTATIONE.

1. Ex antecedente vero aut neceſſario nunquam ſequitur conſequens falſum, aut neceſſarium.
2. Si antecedens ſit falſum, contingens, aut impoſſibile, conſequens per ſe erit falſum, contingens, aut impoſſibile; per accidens tamen poteſt eſſe verum, aut neceſſarium.
3. Syllogismus conſtet tribus tantum terminis; & medium ſaltem ſemel diſtribuatur.
4. Praemiſſae non ſint ambae particulares, aut negativae.
5. Concluſio ſequatur partem debiliorem; & neque aliquid diſtribuat, quod non erat

erat distributum in praemissis, neque terminum medium complectatur.

6. In syllogismo stricte disjunctivo recte conclusio infert oppositum minoris.
7. In syllogismo minus stricte disjunctivo licet quidem, uno membro per minorem negato, affirmare in conclusione alterum, sed non vicissim.
8. In syllogismo conditionali ex affirmata per minorem conditione rite infertur in conclusione conditionatum, & ex negatione conditionati negatio conditionis; utrobique tamen non vicissim.

EX PARTE IV.

DE METHODO ET CRITERIIS VERI.

1. Inter potissima instrumenta methodi numeratur demonstratio; cujus effectus est scientia, quae vere datur; estque non sola reminiscentia, sed notitia de novo acquisita.
2. Methodus Scholastica in tradendis scientiis communiter praeferenda est Geometricae; & in disputando Socraticae.
3. Intellectus concessis praemissis, iisque rite penetratis, nequit inferre conclusionem oppositam: in probabilibus tamen potest omittere conclusionem.

4. Potest intellectus circa idem objectum amplecti simul motiva fidei, scientiae & opinionis; & ex iis elicere assensum.

5. Evidentia genuina, tam immediata quam mediata, item sensus intimus & persuasio naturalis sive sensus communis circa sua objecta faciunt nos metaphysice certos.

6. Relatio seu experientia sensuum legitima circa existentiam corporum indeterminatorum fundat in nobis judicium metaphysice certum; circa existentiam vero corporum determinatorum reddit nos solum physice certos.

7. Auctoritas mere humana sive legitimum testimonium hominum fide dignorum circa factum aliquod ab ipsis visum vel auditum gignit in nobis certitudinem moralem.

EX METAPHYSICAE PARTE I.

DE ONTOLOGIA.

1. Praeter possibilitatem extrinsecam & activam datur etiam possibilitas intrinseca & passiva.

2. Essentia & existentia rei sunt idem quoad rectum.

3. Praedicata ejusdem entis essentialia metaphysica non distinguuntur realiter, sed solum formaliter & per intellectum.
4. Dantur relationes reales & ante operam intellectus.
5. Accidens absolutum salvari potest in sola quantitate modificata; nec sic repugnatur oraculis Conciliorum, aut effatis Ss. Patrum.
6. Essentia Corporis naturalis non consistit in trina dimensione, sed in hoc, quod sit substantia naturaliter impenetrabilis.
7. Datur in causis creatis vera vis agendi.

EX PARTE II.

DE PSYCHOLOGIA.

1. Non dantur plures animae in eodem vivente.
2. Transmigratio animarum inane commentum est.
3. Anima humana est substantia spiritualis & indivisibilis.
4. Ejus immortalitas demonstrari potest ratione naturali.
5. Commercium illius cum corpore nequit explicari per Assistentiam Dei, quam statuunt *Cartesius* & *Malebranchius*.

6. Ne-

6. Neque ſubſiſtere poteſt Harmonia Praeſtabilita, ſive ſyſtema *Leibnitii* & *Wolffii*.
7. Melius & probabilius exponitur hoc commercium per influxum phyſicum non mutuum.

EX PARTE III.

DE THEOLOGIA NATURALI

1. Exiſtentia Dei demonſtrari poteſt argumentis tum phyſicis tum moralibus.
2. Haec demonſtratio procedit etiam permiſſo Atheis aliquo proceſſu in infinitum.
3. Deus eſt ens in omni genere perfectionis illimitatum.
4. Eſt eſſentialiter unus contra *Polytheos*.
5. Datur in Deo providentia, quae res omnes & ſingulas hujus univerſi gubernat.
6. Deus immediate influit in omnes actiones creaturarum.
7. Non tamen eas phyſice praedeterminat.

O. A. M. D. G.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Wiesner, Georg Franz

Providentia divina ex ratione naturali deducta

Heidelberga 1765
Diss. 710,3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10841375-1
VD18 15197565-001